DE ORIGINE, VERITATE, ET IMMUTABILI RECTITUDINE JURIS NATURALIS

secundum disciplinam Christianorum,
ad
Gentilium tamen captum,
instituta
DISQUISITIO
in
ACADEMIA ARGENTORATENSI,
à

JOH. JOACHIMO ZENTGRAVIO,
Philos. Pract. Prof. Ordinar.

ARGENTORATI,
Ex Officina JOSIÆ STÆDELII,
M DC LXXVIII.

INCLUTAE REIPUBL.
ARGENTORATENSIS
ILLUSTRI
TREDECIMVI-RORUM
ORDINI:
VIRIS
GENEROSIS, MAXIMEQUE STRENUIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS,
PATRIÆ PATRIBUS, DOMINIS MEIS GRATIOSIS, & PATRONIS,
à supremo Legislatore salutem & felicitatem perpetuam precor!

Vobis

VObis, PROCERES INCLYTI, hoc quicquid eſt, conſecrari debet non uno nomine operæ. Ad VOS enim jure redeunt primitiæ laborum, quos ſub VESTRIS quotidie impendo auſpiciis. Quanquam enim funeſta belli mala florentiſſimam noſtram quondam Alſatiam ferali mole oppreſſerint, DEI tamen gratia admiranda, VESTRAque incomparabili & ſolerti cura, prudentique in communem patriam pietate, pax intra noſtra viget pomœria, cunctaq; ſunt tranquilla, gaudentque quam Muſæ deſiderant quiete; exerceamini licet quotidie, quo quod alii armis tuentur, VOS juſtitia & prudentia quieti inter armatos, Chaucorum exem-

exemplo, obtineatis: ut proin mirum non ſit, cum *Flos virtutis* VESTRÆ *ſit perpetuus*, Argentinam noſtram complurium afflictorum hac tempeſtate fuiſſe aſylum. Cumque ex ſalutari iſto, & plane ſingulari temperamento, quo noſtra adminiſtratur Reſpublica, ea VOBIS obtigerint expedienda, quæ haud raro ſecundum Naturæ & Gentium jus tantum, quod inter populos, vel populorum rectores intercedit, judicari & geri malunt, ille quoq; VOBIS a me inſcribi voluit liber, qui de juris hujus, quod exterarum etiam nationum & populorum imperantes agnoſcere tenentur, origine, veritate & rectitudine agit: ſi non alias, hac certe de cauſa ſe acceptum fore ſibi perſuadens. Si denique etiam

):(3 con-

consídero insignem qua me semper estis complexi benevolentiam, cuius complura menti meæ recurrenti obversantur monimenta: honorificum item quo me meaq; studiaq; nunquam non æstimastis judicium, æquum erat, ut vicissim declararem, edito hoc nomine specimine, quanti ista facerem. Accipite ergo, PATRES OPTIMI, quæ mea VOBIS debet pietas! DEUS VESTRIS adsit Consiliis, ut ulterius nostra stet inconcussa Respublica. Fiat!

ILLUSTRIS VESTRI ORDINIS

Scrib. Argentorat. Calend. Mart. An. 1678.

devot. & observantiss.
Joh. Joachimus Zentgravius.

LECTORI
BENEVOLO

Εὐπράττειν.

QUo instituto, quove ad disquisitionem hanc, quam benevolo Tuo subjicio judicio, instituendam fine accesserim, si exponam, operæ me pretium facturum esse existimo. Tantum enim abest, ut vel ex pruriente ambitione quadam, vel ex lubidine contradicendi perversa, vel ex iniquo obtrectationis studio, & infrunito in aliorum pro bono publico strenue insudantium labores affectu, hæc nostra profecta sit tractatio, ut vitia hæc animi ab omni bono viro & Christiano abesse, eo verò, qui quæ sunt juris naturalis docet, planè indigna esse censeam. Amico partim aliorum de me judicio, partim

Dnn. meorum auditorum, Respondentium *potissimum, excitatæ industriæ, hoc quicquid est operæ debes. Cum enim secundum ductum celeberrrimi* Cujusdam *hujus juris Doctoris, officia à Lege naturali homini præcepta privatis considerassemus congressibus, illis quæ ad juris naturalis originem, veritatem, & immutabilem rectitudinem pertinent, Proœmij loco præmissis, desiderare qui hæc audierant cœperunt, publicè quoque Colloquia de his institui Academica, quorum proin voluntati, & elegantibus studijs, deesse non debui. Cæterum memor hanc rem aggressurus, statum hominis naturalem non esse BELLUM, prout equidem famoso illi* Malmesburiensi *persuasum fuit, nec* non consentire alicui *esse discordias, rixas, scurriles & mimicas exagitationes inter bonos disseminare, in libera Philosophorum civitate libera & mente & lingua, idque pace aliorum, & me uti posse existimavi. Quapropter cum ad religionem πρᾶξις moralis conformari, & ex ea derivari quoq; debeat, utiq; rectè à me fieri arbitrabar, si prima* moralitatis *principia, Legisque*

natura-

naturalis, clarissimi divinæ in nobis resplendescentis rectitudinis radij, naturam delineaturus, Christianam nostram disciplinam non planè seponerem. Vera non solùm hæc est, ceu inter nos qui sapientiæ hujus sacris initiati sumus constat, sed & sancta, eandemq́; socialis vitæ felicitatem, quam prudentia civilis promovet, intendit: hocq; præ illa, aliaq́; omni doctrina, eo melius, quo perfectius veram cum DEO assimilationis rationem, scintillularumque luminis residui practici originem & finem explicare novit. Solem quippe illum ostendit, in quo pleno jubare sanctitas ista fulget, quæ ex divina benignitate in mentem nostram illapsa, sub legis alicuius schemate in eadem radiat, quo pacto lex DEI æterna in nobis expressa sit explicans, & quid à nobis fieri debeat dictitans. Duo nimirum in honestate actionum spectamus: legale & morale. Illud niti dicimus lege DEI æterna: hoc verò, quare scil. alij actus sint præcisa divina voluntate, vel antecedenter ad eandem, vel sub hypothesi. si non datur DEUS, uti ob illos, quibus sic statum formare placuit, loqui cogimur, in se boni vel mali, consurgere ju-

dicamus ex concursu principiorum illorum, quæ ex se dant esse morale, & citra mentis operationem illud dare censentur, prout nimirum vel convenienti, vel inconvenienti quadam ratione, quæ in se talis, objecto accidunt, vel inter se connectuntur. Ἀρχέτυπον *autem boni, & ut Plato loquitur,* pulchri, *ut est divinæ sanctitatis rectitudo, & divinæ rectitudinis sanctitas, ita quicquid nobis boni connatũ partim est, partim ad quam contendere debemus rectitudo,* ἔκτυπον *istius esse debet, ut sic ista Gentilibus & Christianis tantopere deprædicata hominis ad Deum assimilatio exoriatur: quæ non quidem quoad omnimodam æqualitatẽ cum infinito bono, sed qualemcunq́; cum virtutibus huius similitudinem æstimanda & affectanda est. Hæc enim est illa* εὐζωΐα, *cujus pars est socialis felicitas, ad istam* Jus naturæ *per se, & ex Legislatoris intentione ducit. Qui verò Leges naturæ pro* sociali *tantum jure habent, vel ad vitam tantum socialem referendas esse censent, strictius, nec ad mentem Supremi Legislatoris mihi loqui videntur, ceu Christiana nostra disciplina ulterius ostendit. Maximam quidem juris huius partem Legi-*

bus

bus socialibus contineri, & socialis vitæ ratione recta niti, non malè dicitur; ast omnes quas habemus boni insitas notitias primo, per se & ex divina intentione, ad hunc finem collimare nego. Non enim prima secundæ Tabulæ Decalogi, sed hæc illi cedit, nec leges primæ Tabulæ propter leges secundæ, sed has potius propter illas à supremo Legislatore latas dixeris; quicquid dein sit, quod à religione suum habeat vita socialis vinculum, homoq; religione non imbutus non sit sociabilis, cum non primo propter socialitatem, sed propter seipsum DEUS coli velit: tantum abest, ut ex socialitate ceu fundamento, indirecte etiam, religio naturalis derivari debeat. Cumq; naturaliter obligatio hominis erga seipsum sit prior obligatione erga alterum, cum ordinata charitas à seipsa incipiat, nemoq; teneatur alterum magis diligere, quam seipsum; aliis etiam facere non debeamus, quæ nobis fieri nolumus; cur perverso incedimus ordine, ita ut vero fundamento, Philautia scil. relicto, aliud, socialitatem scil. substernamus? cum tantum absit, ut quid homo sibi debeat, ex ratione socialitatis præcise præstare teneatur, ut potius officia, quæ sibi ipsi

debet

debet homo, regulæ sint officiorum, quæ alteri, cum quo vivo, me exhibere decet. Ut verò planè falsum & absurdum supponatur, ceu hypothesis ex qua Philosophiam hanc de officiis juris naturalis deducas, admitti nec potest, nec debet. Ex falso enim principio ceu medio probandi, vi materiæ per se, & directè, verum non sequitur, cum illud huius causa esse nequeat. Et in moralibus, ubi nos directe & apodictice certos esse oportet, non tam videndum est, quid vi formæ quocunque modo, per accidens, & ex fictione causæ; sed maxime quid in se tale, & quomodo ex vero verum, quid item per se sequatur. Tantum abest, ut falsa hypothesis, ceu primum fundamentum, ex quo cuncta dein Juris Naturalis officia derives, commode supponatur. Aliter se res habet, quando vel quæstionis illustrandæ gratia, vel ad hominem disputantes, falsum aliquod supponimus, vel casum fingimus, sub quo rem, ex veris tamen principiis, consideramus. Præterea quod aliquid in se bonum & malum, præcisa divina voluntate tale, vel antecedenter ad eandem, dari probatum iverim, non

hoc

hoc factum est nomine, quasi si moralia divinam voluntatem consequi affirmarem, DEO voluntate mutante, in lege naturali hoc ipso aliqua contingere posset mutatio, sicut Vasquius equidem, aliiq; crediderunt, cum leges naturales, quæ utiq; sunt morales, & ipse à voluntate DEI latas esse sentiam, de aliqua harum mutabilitate inde oritura minimè anxius, ceu quem non fugit, à divino beneplacito aliquid ordinari posse, quod sapienter ordinaturum supremum Numen, aliter ordinare non potest; sed amore veri, & ut solidius ex ultimis oppugnetur Indifferentismus *principiis. Nec finguntur hoc nomine Ideæ, extra divinum intellectum existentes, quas leges naturales laturus supremus intueri debuit arbiter, cum quæ sit rei alicuius idea ex se sciat Numen eminentissimum & sapientissimum, ceu prolixe sub* Dionysii Areopagitæ *nomine explicatur de Divinis Nomin. f.* 604. *Cæterum quod sic de Origine & veritate Juris Naturalis immutabili disquirens, hoc secundum analogiam Christianæ nostræ religionis fecerim, nil me admisisse existimo, à quo, si rem ipsam*

spectes,

spectes, vel sana abhorreat ratio, vel quod saniores planè sint rejecturi Gentiles, sicut ex adductis in medium istorum testimoniis haud id raro patuit. Speciminis loco itaque forte hæc disquisitio haberi possit, ostendens, quo pacto hæ quæstiones secundum disciplinam Christianorum, si inter Theologiam moralem, & Philosophicam juris naturalis explicationem differentiam aliquam intercedere velimus, tractari debeant, cujus proin principium secutus legem naturalem habitum quendam esse à natura, antequam ratio etiam se exserat, inscriptum, ex scripturis probatum ivi, aliis tamen suam dissentiendi libertatem, salva amicitia, relinquens; qui nunquam quoque me ad tale disceptandi genus adduci passurus sum, quo qui vincit pejor & infelicior ipso victo habetur. Indicem denique industriæ Clariss. Dn. M. Bernhardi Wagneri, Argentoratensis, *debes, qui sicut literarum politiorum insignis est cultor, ita cum ipse ob alia, quæ intervenerunt, negotia laborem hunc impendedere non potuerim, ille Tuo desiderio, si forte aliquod esset hic futurum, satisfacturus eundem in se suscipere voluit. Quare ut & huic & mihi faveas rogo. Vale.*

Nomina Dnn. Reſpondentium.

I. M. JOHANNES CASPARUS LEDERMANN, Dümringenſis.

II. LEOPOLDUS PLAPPERT, Wormatienſis.

II. SAMUEL SILBERRAD, Argentoratenſis.

IV. GEORGIUS HEIDENREICH, Nerolingenſis.

V. M. MARCUS BINDERUS, Ulmenſis,

VI. M. BERNHARDUS WAGNERUS, Argentoratenſis.

VII. JOHANN. FRIDERICUS SCHEID, Argentoratenſis.

VIII. M. JOHANN. NICOLAUS HARTSCHMIDT, Argent.

IX. M. JOHANN. CASPAR KUHN, Saræpontan.

X. M. JOHANN. JOACHIMUS HEINZIUS, Geidertheim-Alſat.

XI. Jo-

XI JOHANN. PHILIPP. SCHMIDT,
Argent.

XII. M. JOHANNES THEODORIC. STORCK,
Argentinensis.

De Juris Naturalis Origine, Veritate & immutabili Rectitudine.

PROOEMIUM.

GRavissimum est *Lactantij* (a) de moralibus judicium, *nullum sic hic dissidio, nullum errori esse locum, unum sentire omnes oportere, ipsamq; Philosophiam uno quasi ore praecipere, quia si quid erratum fuerit, vita omnis evertitur.* Honestas nimirum atque turpitudo non hominum opinione constituitur, quam nonnullis actibus per se, citra superioris alicujus libere ita determinantis arbitrium, inesse censemus. Hanc cum monstret lumen rationis practicum, & cuivis sua dictitet conscientia, sicut ratio eadem omnibus inest, idem lumen recti, semenque boni omnibus insitum, ita in vita humana omnes unum sentire, & quid honestum & turpe sit perspicere possunt. Verum cum intellectus humani magna sit imbecillitas, legumque & morum in mortalium coetibus insignis diversitas, ita ut non eadem omnibus sint honesta & turpia, (b) fit hinc, ut affectuum impetu oppugnatus intellectus dubitare, & consuetudini cedere incipiat. Διαστρέφει γὰρ ἡ μοχθηρία καὶ διαψεύδεσθαι

(a) 3. Instit. 7.

(b) Nep. Prol. v. 3.

ποιεῖ περὶ τὰς πρακτικὰς ἀρχὰς, dicente *Ariſtotele*, (c) 6. Ethic. 12. (c) *diſtorquet enim pravitas, facitq; ut circa activa principia fallamur.* Exemplorum quanta vis ſit in ſeducendis hominum mentibus, & pervertendis eorum judiciis, *Seneca*(d) Epiſt. 123. (d) docet: *Inter cauſas*, inquit, *malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla: nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur. Quod ſi pauci facerent, nollemus imitari: cũ plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit, quia frequentius, ſequimur: & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt.* Ignoramus quoq; haud rarò negotii circumſtantias, quarum tamen unica vel ignorata vel immutata, errorum eſſe cauſa poteſt. Cumque conſideres, quod natura homines, ex unius hominis ſanguine ortos, ad communitatem quandam deſtinarit, ita ut, ipſo (e) 4. Fin. 12. *Cicerone* (e) judice, *nati ſimus ad congregationem hominum, & ad ſocietatem communitatemq; generis humani*; quæ etſi boni ordinis gratia in complures cœtus civiles quidem diſpeſcatur pro populorum diverſitate, quorum ſinguli ſuis ſcitis & placitis gubernantur, communitas tamen illa & ſocietas, qua natura conjuncti & conſociati ſumus, non magis per hoc tollitur, quam ſocietas & communitas civilis, quæ in ſe indiviſa, in complures pagos, familias, vel ſuas Hierarchias dividitur. Cumque inſuper intuearis, quam diverſimode in iſta hominum ſocietate, quibus tamen omnibus eadem ineſt ratio, de eo

quod

quod justum & decorum, honestum item vel turpe est, judicetur; nisi de veritate & certitudine principiorum justi & honesti aliunde certius constaret, quam ex populorum consensu, vel ex hominum corruptorum, & ad prava inclinantium, socialitate; quæ ob hominum ferociam, non semper ad præscriptum rationis vult exigi, non mirum foret, vel *Carneadem* apud *Lactant.* (*f*) *jura sibi homines pro utilitate sanxisse, sc. varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpe mutata*, credidisse; vel *Pyrrhonios* (*g*) honestum & turpe, virtutes & scelera revera, & in se talia non esse, qualia habentur, somniasse.

(*f*) 5. de Iust. 17.

(*g*) Diog. Laert. Pyrrh.

Cæterum quam inimica studio honestatis sit hæc sententia, quæ in hominum tantum arbitrio, non verò in natura discrimen honestorum & turpium fundari asserit, perversa complurium Philosophia moralis docet. *Probabilitatis* sane Jesuiticæ figmentum, non aliunde nisi ex adulterinis hisce seminibus de actuum humanorum, remoto illorum ad legem respectu, indifferentia, germinare cœpit. Cum enim pestilens illa nonnullorum è Schola Doctorum opinio de *Naturali Indifferentia* passim invaluisset, Jesuitæ quo non uni hominum generi se accommodarent, scepticam & ipsi in moralibus certitudinem, *Probabilitatem* sc. profiteri non erubuerunt, id quod *probabile* est eligendum esse asserentes, & commento

hoc actiones non tàm regulæ, quàm regulam actionibus attemperantes. *Posse*, ajunt interprete *Wendrokio*, (h) *Doctorem modo hoc, modo illud respondere; imò rogatum id dare consilij; quod ipse minus probabile, vel etiam falsum putet, modo aliis doctoribus probabile visum sit. 2. posse quemvis cum deliberat, utrum aliquid liceat, annon liceat, multos Doctores eo animo adire, ut ex variis illorum opinionibus eam eligat, quæ sibi favorabilior & exoptatior.* Redditur enim ex mente *Anton. de Escobar.* (i) sententia *probabilis, si rationibus innititur alicujus momenti*, etiam unius Doctoris, ut liceat illam sequi, probabiliori, & tutiori relicta; & ex contrariis illam eligere, *quæ magis arriserit*, ceu ex Doctoribus à *Montaltio* (k) adductis constat. *Posse*, scribit ex *Martino Bonacina Antonius Goffar.* (l) Protonot. Apostolicus, *Confessarium interrogatum respondere juxta opinionem probabilem, & se accommodare & conformare opinioni pœnitenti probabili. Imò posse excusari illos, qui plures adeunt Doctores, donec unum inveniant qui respondeat in sui favorem.* Sed æque inepta atque impia, & morum honestati inimica est hæc Philosophia, de qua meritò illud *Theadoreti* (m) pronunties: πολυειδὲς καὶ ποικίλον τὸ ψεῦδος, ἁπλῆ δὲ τῆς ἀληθείας ἡ χάρις, *multiplex & varium est mendacium, sed veritatis gratia simplex est.* Verum quippe & bonum non nisi unum est, & uti contradicentium sibi invicem sententiarũ, semper altera tantùm vera,

(h) Not. in Ep. st. Montalt. p. 101.

(i) Theol. Mor Ex. 3. cap. 3. pãg. 24.

(k) Epist. V.

(l) Comp. opp. Bonac. p. m. 548.

(m) t. IV. opp. f. 321.

vera, altera tantum falsa est, ita opiniones probabiles, quæ sunt sibi invicem contradicentes, uti non simul veræ esse, ita quoque non simul, vel quæ ex illis favorabilior videtur, eligi possunt. Cumque actus aliquis sub iisdem circumstantiis non simul honestus & turpis esse queat, nec ideò aliquid sit honestum & turpe, prout nimirum, huic vel illi, perversè haud rarò judicanti, visum fuerit, nec denique propterea eligi debeat, quod hic vel ille eligendum esse dixerit, manifestum hinc est, *nos non est posse sequi absq; peccato opinionem probabilem, relicta probabiliore & tutiore*, uti quidem *Bonacina* (n) videtur. Sicut enim aliquid non redditur per hoc verum, quod tu verum esse dicis, quippe quod ad judicium nostri intellectus antecedenter se habet; ita quoque per hoc non fit aliquid honestum, quod hic, vel ille ita judicat, ceu quod nemine cogitante, & ante omnem intellectus operationem, sæpe tale est. Si in vita itaq; sociali ab errore & culpa imunis esse velis, non quid hic vel ille tantum dixerit, attendi, aut quod tibi placuerit, sed quod honestum est, eligi debet. Vana est à probabilitate petita excusatio, peccandi enim periculo qui se exponit, tutiori minus tutum præferendo, peccat; nec hominum opinio honesti & turpis rationem metiri debet, quæ in juris naturalis rectitudine immutabili fundatur, cui quicquid est, con-

(n) Opp. Moral. t. 2. f. 187. n. 4.

veniens, honestum, quicquid adversatur, turpe dicitur. Subscribit in improbanda hac *Probabilitatis* Jesuiticæ doctrina *Petr. Marchant.* (o) totius Francisci ordinis quondam Diffinitor Generalis, cui *cruda* dicitur *assertio, quod* unius aut alterius Auctoris dictum fundet opinionem probabilem, *quod*, inquiens, *quam sit periculosum sentire; appello ad solidum sapientis judicium.* Laudem suam in fallaci hoc Philosophiæ & Theologiæ moralis fundamento evertendo consecuti sunt *Guilielm. Wendrock.* uti appellari voluit doctissimus author, in Not. ad Epist. Montalt. & *Samuel Rachelius.*

(o) Trib. sacr. t. 1. f. 203.

Præterea si istam de naturali actuum humanorum indifferentia, quæ scil. amoto legis respectu exoritur, Philosophiam admittimus, non solum periculosæ in Theologicis subministrantur adversariis hypotheses; sc. respectu DEI & primæ causæ nullum esse peccatum in mundo, nullamq; deformitatem, sed tantùm respectu creaturarum, & *proinde Deum illius ipsius individui actus, qui in Diabolis & hominibus est secundum se peccatum, agens principale esse posse, nec tamen contaminari à peccato,* uti quidem *Samueli Retorforti* (p) videtur; vel satisfactionis Christi pro generis humani peccatis tantam non esse necessitatem, nihilq; impedire, quominus Deus peccata impunita relinquat, *cum ipsius sola voluntas, quando de jure ipsius agitur, omnium*

(p) Disp. de Divin. Provid. c. 19.

um

um rerum Lex & perfectissima norma sit, ceu *Sociniana* habent emblemata: sed etiam homines Athei, quique nullo supremi Numinis metu à sceleribus committendis coërcentur, eò licentius in quævis ruere scelera non dubitant, per se omnia indifferentia esse, solaque humana definitione & impositione niti discrimen honestorum & turpium existimantes, cui quando non sunt obnoxii, vel superioris si contemnunt authoritatem, nec se teneri ulla honestate posse credunt, nec teneri volunt. Scilicet quemadmodum perverse, sensu sc. *Althusiano*, admissa & explicata distinctio majestatis in realem & personalem, multas in republica haud rarò peperit turbas, populosque contra principem armavit; & quemadmodum per seculi simplicitatem & errorem Pontifici concessa superior in Imperium Germanicum potestas, multis civilibus bellis Germaniam involvit, quæ non desiere, donec solennibus Imperii Comitiis definiretur, potestatem Imperialem non à Papa, sed *à Deo immediate* esse; ita quoque perversæ de morum honestate opiniones, quibus animi hominum imbuuntur, perversos in vita humana post se relinquunt mores. Necesse itaque est solidum aliquod discriminis honestorum & turpium fundamentum poni, probarique, quod æque necessarium & immotæ veritatis sit hoc effatum, *idololatria est*

 vitanda,

vitanda, quam hæc propositio, *bis duo sunt quatuor* adeoque rebus moralibus suam certitudinem fallere nesciam non deesse. Dari quoque certa, necessaria & immotæ veritatis principia, ex quibus præcepta virtutum eruere liceat, quemadmodum & in speculativis ex principiis deducuntur conclusiones. Quanquam verò subjectum demonstrationis sit contingens quid, v. c. actiones, contingentia tamen hæc, quo minus morale aliquod attributum de illo demonstrari queat, non impedit. Hoc equidem merè contingens est, Alcibiadem adulterio regis Spartanorum uxorem cognoscere, ast hoc factum turpe, illicitum, & vitandum esse, æque solide demonstrari potest, quam quod corpus naturale sit vel quale vel locale. Quod verò practicas has demonstrationes non omnes ita admittant, quemadmodum Mathematicas, non fit ob aliquam incertitudinem, sed quod cum hæ sensibus etiam percipiantur, illæ non nisi intellectu apprehendi queunt, cujus cum magna sit imbecillitas & ignorantia, ingens insuper malæ consuetudinis corruptela, affectuum rectæ rationi contranitentium magna impuritas, non mirum est dubios sæpe nos reddi posse in ferendo de rebus practicis, & morum honestate, judicio. Non male Cicero (q) *Natura*, inquit, *parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinioni-*

(q) Tusc.quæst. III. 1.

bus&

busq; depravati sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum; quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atq; editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Locum hunc de impedimentis prudentiæ civilis, quæ judicio *Taciti* (r) *in discernendis honestis a deterioribus, utilibus a noxiis consistit*, accuratius & prolixius tractavit *B. Bœclerus* (s) noster, qui omnino videndus.

(r) 4. Annal. 33.

(s) Diss. Pol. 11.

Cæterum cum principia ista practica, ex quibus practicæ eliciuntur conclusiones, quorumque beneficio de actibus humanis demonstratur vel honestas vel turpitudo, sint ipsa lex naturæ, radius ille divinæ sanctitatis in nobis resplendescens, necesse est, præcepta juris naturalis æque necessaria, immediata, prima, æterna, immutabilia & perpetuæ veritatis esse, atque sunt principia theoretica, si in practicis demonstrationes dari, præceptorumque moralium certitudinem infallibilem per lumen naturæ cognoscibilem esse, affirmare velimus. Hic verò non omnes idem sentire videas, nonnullis de juris naturalis origine, & rectitudine immutabili periculose errantibus, & seposita lege divina actuum humanorum indifferentiam sine fronte asserentibus, ta-

citeque omnis impietatis semina spargentibus; aliis præcepta morum practica concreata & insita, quæ legum instar sint, ex mente humana plane eliminantibus, aliaq; juris naturalis principia substituentibus. Operæ pretium itaque me facturum esse existimavi, si Auditorum meorum desiderio satisfacturus, ea, quæ privatim aliquoties fuere dicta circa hasce de origine, veritate, & immutabili juris naturalis rectitudine, quæstiones, publice quoque repeterem. Quam caute enim hic procedendum sit, dici satis non potest, cum Diabolus sub specioso Jurisprudentiæ naturalis, nobilissimæ & utilissimæ disciplinæ, nomine, tacite jam Pelagianismi, jam Atheismi semina disseminare & incautos in errorem ducere conetur, & facile etiam decipere possit. Uterque scopulus feliciter declinabitur, si quæ legis naturalis origo, certitudo & vis obligatrix, hominum quoque, qui lege hac tenentur, conditio & status sit, recte explicatum fuerit. Id quod ut à nobis præstetur, annuat ex alto Deus.

ARTI-

ARTICULUS I.

An homo ſit, vel poſſit eſſe Exlex?

§. I.

QUandoquidem itaq; Lex naturæ à ſupremo rerum moderatore toti generi humanæ præſcripta eſſe dicatur, qua ceu vinculo quodam ad communem quandam ſocietatem conſtituendam omnes contineantur, ad mutua humanitatis officia ubique exhibenda obligati, ad veritatem & indolem Legis hujus cognoſcendam diſquirendum eſt, num liber ſit, vel eſſe queat ab omni lege homo, an verò lege quadam, ut ſuæ naturæ rationali & ſociali convenientem vitam degat, teneatur.

§. 2. Qualis ſit conditio hominis ſub hypotheſi, ſi Deus non datur, diſputatur, à *Grotio.* (a) *Etſi*, inquit ille, *daretur quod ſine ſummo ſcelere dari nequit, non eſſe Deum, aut non curari ab eo negotia humana,* locum tamen Jus aliquod humanæ naturæ habiturum eſſe, opinatur. Verum quanquam id quod congruum eſt rationali & ſociali hominis naturæ, etiam tale ſit data iſta hypotheſi, cum ſicut eſſentiæ rerum nullam quoad ſe ſubire queunt mutationem, ita quoque quæ per ſe & ſine aliorum arbitrio & impoſitione homini ſunt convenientia, talia quoque ſemper

(a) Proleg. de I. B. P.

semper sint & maneant: non propterea tamen legis rationem habebunt. Legem enim universo mortalium cœtu valituram nemo ferre potest, nisi qui universo genere humano est superior, h. e. Deus. Habet quippe lex vim obligandi, quæ non nisi à superiore proficiscitur, ceu in sequenti Articulo demonstrabitur.

(b) Ep. 117.
(c) 12. Metaph. 7. t. 38.
(d) Diss. 1. p. 3.

§. 3. *Cum verò nulla gens usquam adeò extra leges moresq; projecta sit, ut non aliquos Deos credat*, ut *Seneca* loquitur, (b) ἀρχὴν ἐκ ἧς ἤρτηται ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις, *principium a quo cœlum & natura dependet*, secundum *Aristotel.* (c) quia, ut *Maximi Tyrij* (d) verba habent, ἐν πάσῃ γῇ ὁμόφρονος νόμος καὶ λόγος, ὅτι Θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς καὶ πατὴρ, *in omni terra lex & sermo conveniunt, quod unus Deus, Rex & Pater omnium existat*; Primum ens aliquod, quod proinde ut supremum Numen a nobis venerandum: Patet hinc, quod quemadmodum omnibus Creaturis sua quædam quasi lex, quam observent data est, suusque ordo, intra quem se contineant, quo pulcherrima in hoc mundo Harmonia conservetur, præscriptus, isque pro cujusq; naturæ indole; ita quoq; homo suam, secundum quam suæ naturæ convenienter viveret, legem acceperit. Qui enim hunc, cui omnia sunt subjecta, cui cætera inserviunt, ab omni lege eximes? Non tamen, nisi nomine hoc abuti velis, universæ naturæ legem proprie talem præscriptam

esse

eſſe dici debet, cum ad quæ cæteræ Creaturæ per Vim & inclinationem à Creatore ipſis inditam ferantur, non hoc nomine ex lege, vel etiam juſte facta dici debeant.

§. 4. *Guilielmus Arvernus* (e) *belluas, & pene* omnia genera animalium *juſtitiam exercere & jura ſua defendere* docet. *Petrus Gaſſendus* (f) verò, jus & legẽ non brutis tantùm, *ſed etiam plantis, & aliis rebus, quibus facultates aliquæ à natura inſunt, competere* ait, referens huc jus ſugendi alimentum ex terra, ſeſe propagandi &c. Verum enimverò quanquam creator res à ſe conditas conſervaturus, illis ſui amorem indiderit, virtuteque quadam magnetica ſimilia ad ſe invicem ferri, ſuaviterque facta conjunctione acquieſcere videantur, contraria quoque naturali ſenſu à ſeinvicem abhorreant, naturaliter tamen iſta fiunt, ſine lege, quæ propriè talis dici debet. Urit ignis, quæritque ubique pabulum, fertur lapis deorſum, ſugit planta ſuccum ſibi congruum, ex quadam determinatione creatoris ita ordinantis, utque hic, non alius, in natura ordo ſit conſtituentis, non jure quodam *pure naturali*. Nam & columnæ ab architecto ordinantur ut ædificium ſuſtentent, at non niſi figurato dicendi genere legem illis hoc nomine datam dixeris: ſic non niſi improprie naturalis iſta vis interna, qua plantæ aliæque res gaudent, legis nomine venit. Scilicet quemadmodum

(e) P. I. de Univ. part. 3. c. 8.

(f) 2. Ethic. c. 5. p. 798.

dum quidam plantis sexum inesse contendunt, marisque fœcundam vim odore, pulvere, aliisque modis fœminæ communicari existimant, cum tamen nil aliud nisi quædam sit συμπάθεια; sic non lex, non jus datum, sed instinctus quidam naturalis plantis, aliisque rebus, quas certa suæque naturæ convenienti ratione ferri videmus; insitus esse censendus est.

(g) De eo quod just. l. 1. tit. 2.

§. 5. *Hugo de Roy* (g) *quid feris nefas sit, illicitum, injustum, quæ in brutis obligatio, quæ pœna in belluis*, prolixè explicat. *Principia nimirum boni & æqui* illis inesse ait, quæ ad unicum summum caput referri possunt, videlicet *se suaq; diligere; quod cætera sub se continet; qualia sunt defendere vitam, tueri corpus, conjunctionem maris & fœminæ appetere procreandi causa, curam gerere ejus quod procreatum est &c.*

(h) p. m. 12.

Hæc, post addit, (h) *naturâ justa esse, hæc omnibus animalibus bona & æqua esse, hæc naturam omnia animalia docere. Hæc deniq; observanda esse, suam cujusq; seu inclinationem sive rationem instigare, ac promovere. Exempla etiam*, pergit

(i) p. m. 14.

(i) *satis superq; denotare, jus aliquod naturale à brutis observari, obligationis vestigia poni, in se suaq; officia exerceri, violatorumq; pœnas exigi. Nec rationem humanam in animalibus, quibus insitum est, requiri, sed capacitatem notitias juris recipiendi, & perfectionem illis convenientem, quæ in brutis æque ac ratiocinantibus reperitur & cernitur.*

(k) p. 18. (l) ib. p. 19.

(k) *Sufficere, bruta agere secundum naturam, obedire iis quæ juris naturalis esse ratione evincitur.* (l)

Cumq;

Cumq; itaq; notitiis & principiis boni & æqui naturalibus convenienter agant, natura communi Juste agere; non vi rationis, sed motu intrinseco ipsius naturæ à Creatore omnium infusæ. (m) (m) ib. p. 21.

§. 6. Verum si ob qualecunq; justi & injusti schema, verum, & quod propriè tale dicitur jus, (nam quid vel figurato dicendi genere, vel per abusum vocabuli, vel laxiori vocis hujus acceptione, & sic minus propriè dici possit, dispicere nolo) in bruta cadere affirmandum; & quid bonum sibi & æquum, malum & iniquum, justum vel injustum illa sentire asserendum sit, ratione quoque illa non destitui defendi potest, ita ut gradu tantùm præ illis excellamus; cum ea sæpe numero agant, quæ rationis aliquam speciem præ se ferre videantur. Præterea sibi foret lex ista naturalis brutorum contraria, si instinctus iste quo feruntur jus dici deberet; cum naturali affectu sic se suaque diligant, ut spontaneo impetu in alia sæviant animalia, sicut lupus ovem, accipiter columbam dilaniat, censerenturq; non ineptè jure suo naturali hoc facere, cum per sibi conveniens alimentum sui quærant conservationem, agantque id ad quod naturali impetu abripiuntur, non libere, sed determinate. Sed idem jus etiam ovi, columbæ, competit, ut se conservent, vicissimque in lupum & accipitrem insurgant, *omni enim animantium generi, ut Cicero* (n) docet, *à natura tributum* (n) 1. Offic.

est,

est, ut se, vitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitura videantur, omniaq; quæcunq; ad vivendum sint necessaria, inquirat & paret: ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis. Juris quoque naturalis animalis erit coire cum matre, à qua canes aliaq; animalia non abhorrent, cum eam ceu matrem suam ab aliis suæ speciei fœmellis distinguere nesciant, sed talem conjunctionem potius ut sibi bonam & convenientem appetant, & propter eandem certent; hoc ipso quod illa sibi justũ sentire, jureq; suo naturali cum matre conjunctionem, quæ fit procreandi causa, concupiscere, existimari debent: aliis autem animantibus iste conjunctionis appetitus, ceu injustus & minus conveniens, erit prohibitus, quam etiam ceu sibi non bonam

(o) aversantur. Rectius *Hesiodus*: (o)

Oper. & Die. v. 274.

Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων,
Ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεεινοῖς,
Ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐπ' αὐτοῖς,
Ἀνθρώποις δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη
γίνεται.

Nam hominibus hanc legem posuit Saturnius:
Piscibus quidem & feris, & avibus, volucribus,
Se mutuo ut devorent, quandoquidem justitia carent.
Hominibus autem dedit justitiam, quæ multò optima est.

Capa-

Capacitas quippe juris non est sine capacitate rationis, quicquid *Hugo de Roy*, aliique dicant, cum aliud sit *naturale*, aliud *morale*; quod, ut inter omnes constat, illi superadditum, non nisi in agens liberum cadit: quare cum omne jus, si proprio nec figurato dicendi genere uti velimus, sit morale quid; illud quod non est capax morum, legis quoque non capax esse necesse est. Nec sufficit bruta agere secundum naturam; aliud enim est natura, aliud jus naturæ: nec quis hoc nomine secundum jus naturæ agere dicendus est, quando, & quia secundum vim & instinctum naturæ agit: quemadmodum nec vicissim, quod est contra jus naturæ, etiam contra naturam esse dici debet. Consuescere cum parentibus procreandi causa negat Myrrha apud *Ovidium (p)* esse contra naturam, etsi contra jus naturæ commissum scelus sit; sicut & vicissim contra naturam sive naturalem instinctum est supplicio capitali afficere homicidam, cum homo per naturam mortem horreat, etsi non advertetur juri naturali. Sentiunt denique bruta quid sibi bonum & congruum, non ex sensu juris, sed ex sensu indigentiæ naturali; quod si enim secundum *notitias juris*, ut *de Roy* contendit, agerent bestiæ, *hominibus*, ut alibi concludit *Antonius le Grand (q) sapientiores forent, quæ quod nunquam expertæ sunt, explorata haberent, & res callerent antequam ad*

(p) l. 10. Metam. fab. 9.

(q) Differt. de carent. sens. & cogn. in brut. n. 81.

 illorum

vitanda, quam hæc propoſitio, *bis duo ſunt quatuor*, adeoque rebus moralibus ſuam certitudinem fallere neſciam non deeſſe. Dari quoque certa, neceſſaria & immotæ veritatis principia, ex quibus præcepta virtutum eruere liceat, quemadmodum & in ſpeculativis ex principiis deducuntur concluſiones. Quanquam verò ſubjectum demonſtrationis ſit contingens quid, v. c. actiones, contingentia tamen hæc, quo minus morale aliquod attributum de illo demonſtrari queat, non impedit. Hoc equidem merè contingens eſt, Alcibiadem adulterio regis Spartanorum uxorem cognoſcere, aſt hoc factum turpe, illicitum, & vitandum eſſe, æque ſolide demonſtrari poteſt, quam quod corpus naturale ſit vel quale vel locale. Quod verò practicas has demonſtrationes non omnes ita admittant, quemadmodum Mathematicas, non fit ob aliquam incertitudinem, ſed quod cum hæ ſenſibus etiam percipiantur, illæ non niſi intellectu apprehendi queunt, cujus cum magna ſit imbecillitas & ignorantia, ingens inſuper malæ conſuetudinis corruptela, affectuum rectæ rationi contranitentium magna impuritas, non mirum eſt dubios ſæpe nos reddi poſſe in ferendo de rebus practicis, & morum honeſtate, judicio. Non male Cicero (q) *Natura*, inquit, *parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusq;*

(q) Tuſc. quæſt. III. 1.

busq; depravati sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum; quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atq; editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Locum hunc de impedimentis prudentiæ civilis, quæ judicio *Taciti* (r) *in discernendis honestis à deterioribus, utilibus a noxiis consistit*, accuratius & prolixius tractavit *B. Bœclerus* (s) noster, qui omnino videndus.

(r) 4. Annal. 33.

(s) Diss. Pol. 11.

Cæterum cum principia ista practica, ex quibus practicæ eliciuntur conclusiones, quorumque beneficio de actibus humanis demonstratur vel honestas vel turpitudo, sint ipsa lex naturæ, radius ille divinæ sanctitatis in nobis resplendescens, necesse est, præcepta juris naturalis æque necessaria, immediata, prima, æterna, immutabilia & perpetuæ veritatis esse, atque sunt principia theoretica; si in practicis demonstrationes dari, præceptorumque moralium certitudinem infallibilem per lumen naturæ cognoscibilem esse, affirmare velimus. Hic verò non omnes idem sentire videas, nonnullis de juris naturalis origine, & rectitudine immutabili periculose errantibus, & seposita lege divina actuum humanorum indifferentiam sine fronte asserentibus, ta-

citeque omnis impietatis semina spargentibus; aliis præcepta morum practica concreata & insita, quæ legum instar sint, ex mente humana plane eliminantibus, aliaq; juris naturalis principia substituentibus. Operæ pretium itaque me facturum esse existimavi, si Auditorum meorum desiderio satisfacturus, ea, quæ privatim aliquoties fuere dicta circa hasce de origine, veritate, & immutabili juris naturalis rectitudine, quæstiones, publice quoque repeterem. Quam caute enim hic procedendum sit, dici satis non potest, cum Diabolus sub specioso Jurisprudentiæ naturalis, nobilissimæ & utilissimæ disciplinæ, nomine, tacite jam Pelagianismi, jam Atheismi semina disseminare & incautos in errorem ducere conetur, & facile etiam decipere possit. Uterque scopulus feliciter declinabitur, si quæ legis naturalis origo, certitudo & vis obligatrix, hominum quoque, qui lege hac tenentur, conditio & status sit, recte explicatum fuerit. Id quod ut à nobis præstetur, annuat ex alto Deus.

ARTI-

ARTICULUS I.

An homo ſit, vel poſſit eſſe Exlex?

§. I.

QUandoquidem itaq; Lex naturæ à ſupremo rerum moderatore toti generi humanæ præſcripta eſſe dicatur, qua ceu vinculo quodam ad communem quandam ſocietatem conſtituendam omnes contineantur, ad mutua humanitatis officia ubique exhibenda obligati, ad veritatem & indolem Legis hujus cognoſcendam diſquirendum eſt, num liber ſit, vel eſſe queat ab omni lege homo, an verò lege quadam, ut ſuæ naturæ rationali & ſociali convenientem vitam degat, teneatur.

§. 2. Qualis ſit conditio hominis ſub hypotheſi, ſi Deus non datur, diſputatur, à *Grotio.* *(a) Etſi*, inquit ille, *daretur quod ſine ſummo ſcelere dari nequit, non eſſe Deum, aut non curari ab eo negotia humana,* locum tamen Jus aliquod humanæ naturæ habiturum eſſe, opinatur. Verum quanquam id quod congruum eſt rationali & ſociali hominis naturæ, etiam tale ſit data iſta hypotheſi, cum ſicut eſſentiæ rerum nullam quoad ſe ſubire queunt mutationem, ita quoque quæ per ſe & ſine aliorum arbitrio & impoſitione homini ſunt convenientia, talia quoque ſemper

(a) Proleg. de I. B. P.

semper sint & maneant: non propterea tamen legis rationem habebunt. Legem enim universo mortalium cœtu valituram nemo ferre potest, nisi qui universo genere humano est superior, h. e. Deus. Habet quippe lex vim obligandi, quæ non nisi à superiore proficiscitur, ceu in sequenti Articulo demonstrabitur.

§. 3. *Cum verò nulla gens usquam adeò extra leges moresq; projecta sit, ut non aliquos Deos credat*, ut *Seneca* loquitur, (b) ἀρχὴν ἐκ τοιαύτης ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις, *principium a quo cœlum & natura dependet*, secundum *Aristotel* (c) quia, ut *Maximi Tyrij* (d) verba habent, ἐν πάσῃ γῇ ὁμόφρων@ νόμος καὶ λόγος, ὅτι Θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς καὶ πατὴρ, *in omni terra lex & sermo conveniunt, quod unus Deus, Rex & Pater omnium existat*; Primum ens aliquod, quod proinde ut supremum Numen a nobis venerandum: Patet hinc, quod quemadmodum omnibus Creaturis sua quædam quasi lex, quam observent data est, suusque ordo, intra quem se contineant, quo pulcherrima in hoc mundo Harmonia conservetur, præscriptus, isque pro cujusq; naturæ indole; ita quoq; homo suam, secundum quam suæ naturæ convenienter viveret, legem acceperit. Qui enim hunc, cui omnia sunt subjecta, cui cætera inserviunt, ab omni lege eximes? Non tamen, nisi nomine hoc abuti velis, universæ naturæ legem proprie talem præscriptam esse

(b) Ep. 117.
(c) 12. Metaph. 7. t. 38.
(d) Diss. l. p. 3.

esse dici debet, cum ad quæ cæteræ Creaturæ per Vim & inclinationem à Creatore ipsis inditam ferantur, non hoc nomine ex lege, vel etiam juste facta dici debeant.

§. 4. *Guilielmus Arvernus* (e) *belluas, & pene* omnia genera animalium *justitiam exercere & jura sua defendere* docet. *Petrus Gassendus* (f) verò, jus & legé non brutis tantùm, *sed etiam plantis, & aliis rebus, quibus facultates aliqua à natura insunt, competere* ait, referens huc jus sugendi alimentum ex terra, sese propagandi &c. Verum enimverò quanquam creator res à se conditas conservaturus, illis sui amorem indiderit, virtuteque quadam magnetica similia ad se invicem ferri, suaviterque facta conjunctione acquiescere videantur, contraria quoque naturali sensu à seinvicem abhorreant, naturaliter tamen ista fiunt, sine lege, quæ propriè talis dici debet. Urit ignis, quæritque ubique pabulum, fertur lapis deorsum, sugit planta succum sibi congruum, ex quadam determinatione creatoris ita ordinantis, utque hic, non alius, in natura ordo sit constituentis, non jure quodam *pure naturali*. Nam & columnæ ab architecto ordinantur ut ædificium sustentent, at non nisi figurato dicendi genere legem illis hoc nomine datam dixeris: sic non nisi improprie naturalis ista vis interna, qua plantæ aliæque res gaudent, legis nomine venit. Scilicet quemadmodum

(e) P.I. de Univ. part. 3. c. 8.

(f) 2. Ethic. c. 5. p. 798.

dum quidam plantis sexum inesse contendunt, marisque fœcundam vim odore, pulvere, aliisque modis fœminæ communicari existimant, cum tamen nil aliud nisi quædam sit συμπάθεια; sic non lex, non jus datum, sed instinctus quidam naturalis plantis, aliisque rebus, quas certa suæque naturæ convenienti ratione ferri videmus; insitus esse censendus est.

(g) De eo quod just. l. 1. tit. 2. — §. 5. *Hugo de Roy (g) quid feris nefas sit, illicitum, injustum, quæ in brutis obligatio, quæ pœna in belluis*, prolixè explicat: *Principia nimirum boni & æqui* illis inesse ait, quæ ad unicum summum caput referri possunt, videlicet *se suaq; diligere; quod cætera sub se continet; qualia sunt defendere vitam, tueri corpus, conjunctionem maris & fœminæ appetere procreandi causa, curam gerere ejus quod procreatum est &c.*

(h) p. m. 12. — *Hæc*, post addit, *(h) naturâ justa esse, hæc omnibus animalibus bona & æqua esse, hæc naturam omnia animalia docere. Hæc deniq; observanda esse, suam cujusq; seu inclinationem sive rationem instigare, ac promovere. Exempla etiam*, pergit

(i) p. m. 14. — *(i) satis superq; denotare, jus aliquod naturale à brutis observari, obligationis vestigia poni, in se suaq; officia exerceri, violatorumq; pœnas exigi. Nec rationem humanam in animalibus, quibus insitum est, requiri, sed capacitatem notitias juris recipiendi, & perfectionem illis convenientem, quæ in brutis æque ac ratiocinantibus reperitur & cernitur.*

(k) p. 18. — *(k) Sufficere, bruta agere secundum naturam, obedire iis quæ juris naturalis esse ratione evincitur. (l)*

(l) ib. p. 19.

Cumq;

Cumq; itaq; notitiis & principiis boni & æqui naturalibus convenienter agant, natura communi juste agere, non vi rationis, sed motu intrinseco ipsius naturæ à Creatore omnium infusæ. (m) (m) ib. p. 21.

§. 6. Verum si ob qualecunq; justi & injusti schema, verum, & quod propriè tale dicitur jus, (nam quid vel figurato dicendi genere, vel per abusum vocabuli, vel laxiori vocis hujus acceptione, & sic minus propriè dici possit, dispicere nolo) in bruta cadere affirmandum, & quid bonum sibi & æquum, malum & iniquum, justum vel injustum illa sentire asserendum sit, ratione quoque illa non destitui defendi potest, ita ut gradu tantùm præ illis excellamus, cum ea sæpe numero agant, quæ rationis aliquam speciem præ se ferre videantur. Præterea sibi foret lex ista naturalis brutorum contraria, si instinctus iste quo feruntur jus dici deberet, cum naturali affectu sic se suaque diligant, ut spontaneo impetu in alia sæviant animalia, sicut lupus ovem, accipiter columbam dilaniat, censerenturq; non ineptè jure suo naturali hoc facere, cum per sibi conveniens alimentum sui quærant conservationem, agantque id ad quod naturali impetu abripiuntur, non libere, sed determinate. Sed idem jus etiam ovi, columbæ, competit, ut se conservent, vicissimque in lupum & accipitrem insurgant, *omni enim animantium generi, ut Cicero* (n) docet, *à natura tributum* (n) 1. Offic.

est,

est, ut se, vitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitura videantur, omniaq; quæcunq; ad vivendum sint necessaria, inquirat & paret: ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis. Juris quoque naturalis animalis erit coire cum matre, à qua canes aliaq; animalia non abhorrent, cum eam ceu matrem suam ab aliis suæ speciei fœmellis distinguere nesciant, sed talem conjunctionem potius ut sibi bonam & convenientem appetant, & propter eandem certent; hoc ipso quod illa sibi justū sentire, jureq; suo naturali cum matre conjunctionem, quæ fit procreandi causa, concupiscere, existimari debent: aliis autem animantibus iste conjunctionis appetitus, ceu injustus & minus conveniens, erit prohibitus, quam etiam ceu sibi non bonam aversantur. Rectius *Hesiodus*: (o)

(o) Oper. & Die. v. 274.

Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων,
Ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς,
Ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐπ' αὐτοῖς,
Ἀνθρώποις δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη
γίνεται.

Nam hominibus hanc legem posuit Saturnius:
Piscibus quidem & feris, & avibus, volucribus,
Se mutuo ut devorent, quandoquidem justitia
carent.
Hominibus autem dedit justitiam, quæ multò
optima est.

Capa-

Capacitas quippe juris non est sine capacitate rationis, quicquid *Hugo de Roy*, aliique dicant, cum aliud sit *naturale*, aliud *morale*; quod, ut inter omnes constat, illi superadditum, non nisi in agens liberum cadit: quare cum omne jus, si proprio nec figurato dicendi genere uti velimus, sit morale quid; illud quod non est capax morum, legis quoque non capax esse necesse est. Nec sufficit bruta agere secundum naturam; aliud enim est natura, aliud jus naturæ: nec quis hoc nomine secundum jus naturæ agere dicendus est; quando, & quia secundum vim & instinctum naturæ agit: quemadmodum nec vicissim, quod est contra jus naturæ, etiam contra naturam esse dici debet. Consuescere cum parentibus procreandi causa negat Myrtha apud *Ovidium (p)* esse contra naturam; etsi contra jus naturæ commissum scelus sit; sicut & vicissim contra naturam sive naturalem instinctum est supplicio capitali afficere homicidam, cum homo per naturam mortem horreat, etsi non adversetur juri naturali. Sentiunt denique bruta quid sibi bonum & congruum; non ex sensu juris; sed ex sensu indigentiæ naturali; quod si enim secundum *notitias juris*, ut *de Roy* contendit, agerent bestiæ; *hominibus*, ut alibi concludit *Antonius le Grand (q)* *sapientiores forent, quæ quod nunquam expertæ sunt, explorata haberent, & res callerent, antequam ad illorum*

(p) l. 10. Metam. fab. 9.

(q) Differt. de carent. sens. & cogn. in brut. n. 81.

illorum sensuum organa pervenissent. Nam apes *vix in lucem editæ, favos extruunt, mella colligunt, regem comitantur, Reipublicæ speciem tuentur*: Formicæ *juvenes, non minus providentiam testantur, quam ætate provectæ.*

§ 7. Non equidem operationes istas animalium, v.c. apum, canum, luporum inimicitias cum ovibus exercentium, quas nonnunquam miramur, aliasque cæteras cum *Cartesio*, (r) quem *Antonius le Grand* (s) sequitur, *determinato motui interno spirituum animalium, externorum objectorum actione diversimode excitatorum, & in musculos deductorum, illorumq; varietati, & certæ membrorum conformationi*, præcisa omni cognitione tribuerim, ceu alibi disquiritur; non tamen posita cognitione, notitia juris in illa cadit, ceu quæ cognito objecto, prout eodem afficiuntur, cognitioque ista spiritus excitat animales, illud, sine juris quod hinc oriatur notione, naturali spirituum determinatione vel prosequuntur, vel fugiunt, vel vehementiore, vel remissiore impetu; qui cum hinc in aliis ordinatus, in aliis minus talis appareat, brutorum istud jus, si quod tale statuendum, non solum virtutum, sed etiam ingentium vitiorum simulacra exhibere certum est. Profert *Rorarius* (t) exemplum equi incestum detestantis; contra *Aristotel.* (u) *equum vel suas matres, vel filias supervenire* docet. uterque recte. Non enim obje-ctum

(r) de Pass. An. P. 1. a. 12. seqq. 16.
(s) l. c.
(t) l. quod anim. bruta mel. ration. &c. p. 96.
(u) Hist. animal. 6. 22.

ctum sensibus cognitum eodem semper modo agit in spiritus animales, nec hi eodem semper se habent modo; nec eadem quoque semper moventur ratione.

§. 8. Nulla denique in bruta violati juris alicujus naturalis pœna cadit. Quanquam enim olim apud Ebræos animal, quo ad scelestum concubitum homo abusus fuerat, bos item cornupeta cædi debuerit, id tamen non ob delictum, vel legis alicujus transgressionem factum fuit. Brutorum enim actiones, sicut à nulla lege diriguntur, sed naturæ ipsorum determinationem, & instinctum cujuscunque animantium formæ, illiq; inservientibus spiritibus animalibus, & membrorum corporis organici conformationi congruum sequuntur, ita eadem quoque pœna ob leges violatas nulla manet. Dabatur autem morti brutum ad atrocitatem peccati per ipsius nefandum abusum commissi ostendendam; vel si malum intulisset, ut bos cornupeta, ad impediendum ne ulterius læderet, eo nimirum jure, quo licet ob sui conservationem ea quæ noxia sunt avertere, & destruere, quemadmodum & serpentes, aliaq; venenata animalia tolluntur, idque constitutione & ratione mere civili, sicut ad mentem Ebræorum hoc ostendit doctissimus *Selden.* (x) eadem ferè ratione, qua & instrumentum quo homicidium committi-

(x) de I. N. & G. l. 1. c. 4. p. m. 55. seqq.

 tur

tur haud raro rotæ, cui homicida imponitur, affigi solet, vel sicut ex jure veteri Romanorum Canis, simia, gallus ac vipera culeo cum parricida insuti, in mare vel profluentem demergebantur, idque ex jure dominii humani in bestiam, quemadmodum & *Hugo Grotius* (y) cædem bestiæ, qua homo ad concubitum abusus fuerat, ex eodem deducit. Si enim licet homini cædere brutum ob alias causas, quidni & ob rationem aliquam civilem?

(y) de I.B.P. l. 2. c. 21. §. 11.

§. 9. Cæterum diversa est hominis ratio, qui uti legis & imperii capax est, ita liber ab omni lege à Creatore & Domino suo non fuit relictus. Nactus quippe est animam juris intelligentem, ut & quid se facere deceat cognoscere, & rationem legisque vim percipere queat, personis etiam, actionibus & negotiis ea quæ lege præcipiuntur, applicare sciat. Gaudet insuper libera agendi facultate, ut secundum & contra leges vivere possit. Tale animal sine omni lege liberum relinqui non convenit. Rationalis est homo, & sic per naturam legis capax; Deo ceu supremo rerum Domino subjicitur, quem proinde ut supremum Numen venerari tenetur; socialis etiam est, & à Deo ad vitam socialem conditus, quare lege quadam sociali homines obligari oportet, quæ normæ instar illis sit, quo pacto se gerere debeant, ut societas incolumis conservetur.

vetur. Nam si sine lege cuilibet libere liceret vivere, sui tantum commodi privati, non communis societatis haberent rationem. Καθόλε γὰρ πᾶν ζῶον ἐδὲν ἔτως ᾠκείωται, ὡς τῷ ἰδίῳ συμφέροντι. *In universum enim omne animal sic sibi conciliatum est, ut nulli rei magis, quam suæ propriæ utilitati sit devinctum. Quicquid ergo impedimenti visum fuerit usquam objici, sive frater is fuerit, sive pater, sive filius, sive ametur, sive amet, eos omnes odit, abjicit, imprecando diris devovet*, ait *Arrian.* (z) quo ipso omnia tollitur societas. Diversa quoque & haud rarò contraria sunt hominum studia; hic ambitione, ille libidine solicitatur, hunc tenet plus justo habendi, illum imperandi cupiditas, alii æmulatione, invidia, aliaque mentis impotentia & inordinato affectuum motu abripiuntur, ita ut rapinis, violentia, iniqua oppressione, tyrannide & stupris omnia impleantur. Quemadmodum itaque ἐν τοῖς νόμοις ἐστὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως, ut loquitur *Aristotel.* (a) ita cum hominem sociale animal Deus condiderit, & ad societatem destinarit, legem quoque, qua ceu vinculo, ne quid contra socialem vivendi rationem committant, inter se mortales contineantur & obligentur, illi simul indiderit necesse est. Cum enim communitatem quandam naturaliter constituamus omnes, lege quoque communi consociatos nos esse oportet. Nam quod

(z) 2. in Epict. 22.

(a) 1. Rhetor. 4.

corpus sine mente, id societas est sine lege.

(b) 1. de Leg. n. 56.

§. 10. *Cicero* (b) ex eo quod omnes ratione gaudeamus, nullaq; inter homines dissimilitudo sit in genere, omnibus communem legem esse datam, omnesque ad justitiam esse natos, colligit. *Nihil*, inquit, *est unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmet ipsos sumus: Quod si* (ita originalem labem ignorans Gentilis per saltum pergit) *depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocunq; cœpisset; sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes sunt omnium.* Omnibus enim inest Ratio, ita ut nullus detur, quin ducem naturam nactus, ad virtutem pervenire, honestatemque humanam consectari possit; *quibus autem natura ratio data est, iisdem etiam recta ratio data est; ergo & lex, quæ est recta ratio in jubendo & vetando, si lex, jus quoq;. At omnibus ratio, jus igitur datum est omnibus*, ulterius infert *Cicero.* (c) Recta quippe Ratio cum juxta illud *Persii* (d)

(c) l. c. n. 58.

(d) Satyr. 5.

Stat contra ratio & secretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.

quid faciendum vel omittendum sit dictet, idque cum tacito quem in nobis experimur obligationis sensu. legem hinc quandam in nobis esse recte dicitur. Sic enim se ratio in nobis exerit, quæque est in nobis notitia honestorum atq; turpium, ut tacita quædam & interna vox nobis quid nos deceat imperare

rare videatur, ut credamus nos peccare, nisi dictamini interno obediamus, & hoc nomine ceu legis internæ transgressores obnoxios reddi pœnæ, unde etiam angores, mœrores & pavores exoriuntur, qui post commissa scelera homines excruciant, à quibus malis ne gentiles immunes mansere, ceu *Aristoteles* (e) author est. (e) 9.Nicom.4.

Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemq; metumq; suo.

canit *Ovid.* (f) consentit *Iuvenalis*: (g) (f) 1. Fastor (g) Satyr.13

—— —— cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos dixi conscia facti
Mens habet attonitos? & surdo verbere cadit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,
Quas & Seditius gravis invenit & Rhadamantus,
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.

Cumque metus hic eos quoque invadat, qui omni potestate humana sunt superiores, quosque nulla ab hominibus manet pœna, superiori etiam legi tales obnoxios esse, manifestum est.

§. 11. Ita *conscientia* qua rationalem & socialem hominis naturam Deus instruxit, legem naturalem & universalem, non nisi in tabula cordis humani scriptam, dari docet. Cum enim rationalem vitam debeat agere homo, & operari propter finem propter quem est conditus, conscientia non

 solum

ſolum luminis & regulæ inſtar in intellectu radiat, ut quid facere & omittere debeat, & qua ratione morale judicium ferre poſſit, homo cognoſcat. ὅτε ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἐνέσπειρεν αὐτῷ τί ποτε θεῖον, ὥσπερ λογισμόν τινα θερμώτερον καὶ φωτεινὸν σπινθῆρος λόγον ἐπέχοντα, φωτίζοντα τὸν νοῦν, καὶ δεικνύοντα αὐτῷ τὸ καλὸν ἀπὸ τοῦ κακοῦ; *cum formavit Deus hominem, immiſit illi neſcio quid divinum, mentem ſc. quandam illuſtrem ac fervidam; quæ ipſum inſtrueret bonum à malo ſecernere*, ait *Doroth. Archimandr.* (*h*) Verum etiam additis minis inculcat atque urget facere honeſtum & omittere turpe, ita ut homo ad obſequium voci huic internæ, ceu legi, exhibendum ſe obligatum ſentiat.

(h) Bibl. pp. t. 11. f. 766.

§. 12. Præterea cum homini non liberum ſit, an velit vitam rationalem & ſocialem agere, ſed ceu animal à Deo ad vitam talem vivendam deſtinatum, & mediis ſufficientibus inſtructum, naturæ ſuæ & fini propter quem eſt conditus convenienter ſe gerere omninò teneatur, notitia iſta atque internis dictaminibus, quibus quid ſe agere deceat probè novit, ceu legibus obligabitur, ne quid ſe indignum committat, neve in agendo deficiat, & à fine propter quem eſt conditus aberret. Sicut itaque alia agentia ſenſu & ratione carentia vi quadam interna & naturali determinate feruntur ad id quod ipſis eſt congruum, inſtinctuque naturali

turali diriguntur ad finem suum, cum Deo sic visum fuerit, illorum naturæ imprimere, quomodo sibi convenienti quodam modo agere, ordinemq; suum tueri & servari debeant, qui ratio est, qua illa supremum numen vult gubernare; ita homo qui libere & moraliter agit, per semen illud boni internum, lumen nimirum intellectus practici, cum obligatione quadam, cujus sensus internus per conscientiam se exerit, determinabitur ad eligendum id quod ipsius humanæ naturæ, & fini propter quem est conditus, in vita sociali est congruum, cui ille contravenire non audeat, cujus etiam libertas naturalis non sine juris alicujus vinculo intelligi debeat. Ut proinde probaturi legem in nobis esse, quæ nos nostræ naturæ & fini convenienti modo agere jubeat, rectè cum *Tertulliano* (i) ad animam nostram provocare possimus, *cum gentes quæ legem non habent, natura quæ legis sunt, faciant, eæ legem non habentes, sibi ipsis lex sunt: ut qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, una testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus se mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus*, ut contra gentes disputat, & à posteriori ex conscientiæ testimonio, juris naturalis existentiam & notitiam in Gentilibus probat Gentium Doctor θεόπνευστος *Paulus* (k)

(i) Apol. c. 17.

(k) Rom. 2. 14. 15.

§. 13. Cæterum num & ex *pudore*, quo homo vel ante factum, vel post factum

commissum, etiam invitus tangitur, lege quadam interna nos teneri, colligi queat, disquiritur. Animadvertimus quippe, quod quemadmodum pullus gallinaceus vix natus milvum è longinquo conspectum horret, vel homines nonnunquam certum ciborum genus ita aversantur, ut illis duntaxat visis, naturali quadam ἀντιπαθείᾳ commoveantur, ita nonnunquam homines, moratiores præsertim, quos hic considerare oportet, vel ante factum ex ipsius cogitatione pudore suffusi ab illo abhorreant, vel commissum ita detestentur, ut quanquam nullũ superiorem, cujus subjecti sint pœnæ, agnoscant, ex interno turpitudinis sensu latere potius, si non mori, quam in celebritate versari, aliisque hoc nomine esse spectaculo, malint, quasi moralis ἀντιπάθεια se per talem motum exereret. Unde & *Tertullianus* (l) *omne malum*, inquit, *aut timore, aut pudore natura perfudit.*

(l) Apol. c. 1. f. 803.

§. 14. Quanquam verò *Authori* de princip. Just. & Decor. (m) illud concedamus, *non omne quod pudorem incutit peccatum esse, & naturalis legis dictamine prohiberi*, cum & vitiosus detur pudor, de quo elegans *Plutarchi* (n) extat commentariolus, quo judice ὁ ἐυδυσώπητος, ἄγαν τὸ θῆλυ τῆς ψυχῆς καὶ τρυφερὸν ἐμφαίνει διὰ τῆς ὄψεως, τὴν ὑπὸ ἀναισχύντων ἧτταν, αἰσχύνην ὑποκοριζόμενος, *qui ad nimium propensus est pudorem, animum nimis effœminatum ac delicatum*

(m) p. 59.

(n) tom. 2. f. 528.

delicatum ipso prodit visu, verecundiæ honesto nomine prætexens mollitiem suam, qua impudentibus succumbit; cumque & homines haud rarò ob ea erubescant, quæ in se turpia non sunt, v. c. ob paupertatem, parvam staturam, aliaque quæ ipsis videntur minus decora esse; quanquam dein & illud non negemus *Dn. Pufendorf.* (o) illos *qui semel existimationis suæ curam digesserunt, etiam turpissimis non amplius erubescere*, sed sine pudoris sensu ea comittere, à quibus alias recta ratio homines revocat, quemadmodum *Lerio* (p) teste, Barbari Americani *Tovoupinambaultij* dicti, nudi prorsus incedunt, nec ullas corporis partes unquam tegunt, nullo hujus nuditatis pudore; aut prout apud Babyloniorum matronas & virgines, teste *Curtio*(q) *vulgati corporis vilitas comitas habita fuit. Quarum convivia ineuntium in principio cum modestus esset habitus, dein summa quæq; amicula exuebant, paulatimq; pudorem profanabant, ad ultimum ima corporum velamenta projiciebant.* Quanquam, inquam, hæc ita se habeant, recte tamen cum *Plutarcho*, (r) *pro germine è bono pullulante ingenio* pudor habetur. Homo enim cum naturali fuga infamiam, & quæ illam conciliare videntur, aversetur, nec pudor iste, quamdiu vel sensus turpitudinis, vel metus infamiæ, vel cura existimationis in homine superest, excutiatur, & secundum *Alex. Aphrodis.* (s) in illos maximè cadat, qui

(o) de I.N.& G. p. 29.

(p) Hist. Brasil.

(q) l. 5. c. 1. 38.

(r) l. c.

(s) 4. Nat. q. c. 21.

qui turpia *vehementer habent odio*, hoc ipſo multi, ne mali quid committant, revocantur. Unde & *Ambroſ.* (t) *hunc ordinem vitæ nobis tenendum eſſe* docet, *ut à verecundia prima quædam fundamenta ducantur.*

(t) 1. Offic. c. 43.

§. 15. Quare cum iſte ſenſus turpitudinis, & horror ſe in homine nonnunquam exerat ante factum, ex conſcientiæ dictamine turpe aliquid eſſe dictitantis, infamiamque, pœnam ſupremi Numinis, ſi ſcelus fuerit commiſſum, denunciantis; poſt factum verò ex memoria anteactorum eundem actuum commiſſorum ita pudeat, ut etiam erga illos hoc nomine pudore tangatur, quos tamen alias floccipendit, pudorem hunc legis internæ, cui homo ſit obnoxius, indicem eſſe recte colligitur: Sicut & ille qui contra leges civiles peccat, & ex peccati hujus conſcientia pudore tangitur, rectè hoc nomine legi obnoxius eſſe judicatur, cum turpitudinem, quam infamiam aliquam, & pœnam à ſuperiore, in quem peccatum fuit, imminentem ſequi, certè ea dignam credit, abominetur. Nam ſi ubi nulla lex, ibi nulla quoque metuenda ſit pœna; pudorem qui ex legis violatæ conſcientia oritur, legem etiam inferre, negari nequit. Quæ *Pufendorf.* contradicit, nos non feriunt, qui non à pudore ſimpliciter & præcisè tali, ſed qui ex conſcientiæ prohibentis ante factum, & accuſantis poſt factum

factum dictamine exoritur, argumentamur pro asserenda, qua homo tenetur, lege.

§. 15. Eandem licet colligere ex motibus internis rationem oppugnantibus, quibus nonnunquam nil mali cogitantes ad peccandum invitamur, quique *Tentationes* appellantur. Luctatur quando tale quid contingit recta ratio, internisque monitis revocare tentatum nititur, ita ut variis dubitationibus fluctuans animus humanus ratione impetum affectuum quidem vincere, etsi haud rarò infeliciter, tentet, ut exemplo Medeæ apud *Ovid.* (u) docetur: l. 7. Meta-morph.

Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes infelix, si possem sanior essem,
Sed trahit invitam nova vis, aliudq; cupido,
Mens aliud suadet, video meliora proboq;,
Deteriora sequor.

Cæterum cum *Tentationes* istæ non solum ab irritante & inescante quodam externo, sed & ab interno morbo quodam naturæ in Protoplastis contracto, quem gentilis ignorantia stulte *vitium materiæ* appellavit, exortæ, subito nonnunquam ad modum fulguris vibrati hominem commoveant, variasque in mente ipsius in oppositum ducentes dubitationes excitent, quibus ille, monitus non sine tacito suæ obligationis sensu, scintillis bonarum admonitionum honestum & justum præcipientium sui officii, diu incercertus jactatur, hoc ipso cognoscitur ratio-

nali

nali hominis naturæ, ceu exlegi, non omnia indifferenter convenire, ſed quando inter ſuperiores & inferiores facultates exor untur diſſidia, facultati rationali illa congrua eſſe non poſſe, ſed potius prohibita eſſe, à quibus illa abhorret, & in quæ facultas ſenſitiva rationi rebellis tanto cum impetu & voluptate abripitur. Quod niſi foret, non poſt neglectum rationis præceptum diros in mente ictus, ſævoſque ſentirent delinquentes dolores, non homines etiam ſceleratos morte dignos judicarent, quod tamen ipſos facere & conſtat, & à (x) *Paulo* docetur. οἵτινες, inquit, ſcelerati ſc. de quibus modo egerat, τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες (ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εἰσίν) οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι, *Qui cum juſtitiam Dei noverint, nempe quod ii qui talia faciunt digni ſint morte: non ſolum ea faciunt, verum etiam aſſentiuntur iis, qui faciunt.*

(x) Rom. 1. 32.

§. 16. *Ioh. Caramuel* (y) ſine lege, nulliq; legi morali ſubjectum Deum homines creare potuiſſe ſuſtinet, quem alii ſequuntur. Verum enimverò qua ratione divina ſapientia, etiam gentilium judicio ordinatè omnia agens, creaturis vagum, confuſum, incertum, naturæq; ipſarum & fini propter quem conditæ ſunt, contrarium, & ab omni ordine & lege liberum concedens motum, aliquid ſe indignũ committet? *Thales* apud *Plutarch.*

(y) Theol. Intent. l. 2. p. 259.

tarch. (z) *τί κάλλιστον quid pulcherrimum*, interrogatus, *κόσμος*, inquit, *πᾶν γὰρ τὸ κατὰ τάξιν, τούτου μέρος ἐστί. mundus, omnes enim ejus partes* ordine *aptæ sunt*. Homo in quo non eſt naturale aliquod lumen recti & ſemen boni, quiq; nulla lege Deo obligatus, liber & exlex relinquitur, hoc ipſo libere quoq; ad bonum & malum ſe convertere, imò contra Deum inſurgere, Creatoremque ſuum, ſi variè ab eo affligitur, contumeliis afficere impunè poteſt, nulla id lege prohibente. Quanquam enim tum etiam non poſita lege à naturali ſua rectitudine aberraret, id quod in ſe turpe eſt & pœna dignum committens, actu tamen pœnæ non redderetur obnoxius, nulla planè lege, quæ illum ad omittendam iſtam impietatem revocaret, exiſtente, ubi verò nulla obligatio, ibi nulla pœna. Atqui gentilium complura teſtantur exempla, quam gravis illos pœna manſerit, qui etiam in Deaſtros, quos cæci veri numinis loco coluerant, fuerunt impii. Denique ſi creator liberum ab omni lege & norma vivendi hominem conderet, crearet ipſum moraliter malum, creatura enim rationalis non diligens Deum ſive actu, ſive habitu non niſi mala & perverſa eſſe poteſt; Deus enim ſicut principium eſt creaturæ rationalis, quæ divinæ bonitatis per hoc quod eſſe ſuum à Deo accepit redditur particeps, ita voluntas noſtra rectè ſe habens, eundem ceu terminum & cen-

(z) Conviv. VII. Sap. p. m. 266.

centrum ſuum reſpicit, ut cum à Deo orti ſumus, non niſi in Deo acquieſcere poſſimus. Taceo poſitionem iſtam *Caramuelis* figmento *purorum naturalium*, quæ ad perfectionem hominis naturalem ſufficere dicuntur, alibi à Theologis profligato, niti.

§. 17. Cæterum cum homines cauteriatam conſcientiam habentes ſine metu numinis, ſine ſenſu legis interioris obligantis, & à ſceleribus revocantis, ex uno ſcelere in aliud ruant, num legem penitus extinctam cenſeamus? Dantur quorum uſitata vox eſt, ut ait *Luther.* (*a*) *oportet conſcientiam occidere, & dicere, quod ſit nihil.* Verum quanquam conſcientia narcoticis quaſi delibuta, obrigeſcere, ſtupere, omnique dolore & mali ſenſu carere queat, non tamen legem internam penitus extinctam eſſe credendum eſt. Duplex eſt ſcientia legis, actualis & habitualis, hæc ſomno, illa vigiliæ comparatur ab *Ariſt.* (*b*) qui ἐν τῷ γὰρ ὑπάρχειν, inquit, τὴν ψυχὴν, ὕπνος καὶ ἐγρήγορσις ἐστιν; ἀνάλογον δ' ἡ μὲν ἐγρήγορσις τῷ θεωρεῖν, ὁ δ' ὕπνος, τῷ ἔχειν καὶ μὴ ἐνεργεῖν: ex eo *quia ineſt anima, & ſomnus & vigilia eſt, proportionale autem vigilia quidem ſpeculationi, ſomnus autem habitui non exeunti in actum.* Illa ceſſante hæc non extinguitur. Quid quod nunquam in homine ita ſopita ſit iſta lex; quin nonnunquam ſe ratio vindicet, & meliora ſuadeat. Nota vox eſt Neronis, ſegnitiem ſuam his verbis increpantis apud *Sueton.* (*c*) *Vivo deformiter ac turpiter.* οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει. νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις, ἄγε ἔγειρε σεαυτόν. *Unde non uſque adeo,* inquit *Auguſtin.* (*d*) *in anima humana imago Dei terrenorum affectuum tabe eſt detrita, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint: unde meritò dici poſſit etiam in ipſa impietate vita ſua facere aliqua legis, vel ſapere.*

(*a*) Com. Geneſ. c. 43.

(*b*) 2. de Anim. 1.

(*c*) Ner. c. 49.

(*d*) de Spir. & liter. c. 28. ad. in Pſ. 118.

ARTI-

ARTICULUS II.

De

Legis naturalis latore, ipsiusq; existentia, probans *dari Deum*.

§. I.

PRobaturus *dari legem aliquam naturalem*, qua omnes homines, eo quod homines sunt, & communitatem quandam constituunt, obligantur, de Legislatore ante omnia solicitus esse debet. Quanquā enim, quæ Lex naturalis jubet, nō libero demum supremi rerum moderatoris arbitrio bona facta fuerint, sed omnino antecedenter ad legis hujus latoris voluntatem se habeant; furtum etiam, item adulterium, injusta hominis cædes, aliaque scelera, turpium numero per se censenda sint, non tamen hoc ipso lege tenebitur homo ad hæc vitanda; ad honesta autem facienda. Conveniens equidem est hominis naturæ, decetque eundem, ut in agendo honestum & decorum observet, faciatque id, quod justum est; sed hoc nondum vim legis habet: nec qui hoc omittit, eo ipso tanquam legis transgressor pœnæ subjacet, quanquam turpia committendo pœna se dignum reddiderit, in quem jure quoque graviter animadverti posset, si lege turpium istorum facta

 fuis-

fuisset prohibitio. Lege enim constituitur pœna, cui redditur obnoxius, qui contra legem peccando culpæ fit reus. Culpam supponit pœna, culpa vero legem, cui, ceu regulæ, quando actum ut disconvenientem concipimus, tum concipimus eundem sub ratione peccati & culpæ, propter quam reus pœnam subire tenetur. *Propriè enim lex,* rectè ait *Escobar.* (*a*) *vocitanda non est, quæ nec culpa nec pœna exigit observantiam.* Sed *dicuntur potiùs regulæ, seu ordinatio quædam* secundum *Bonacinam.* (*b*) Non autem fertur lex nisi à superiore, & qui imperium habet in illos, quos lege sua vult obligatos.

(*a*) Theol. Moral. tr. 1. Ex. c. 6. p. m. 42.

(*b*) Tom. 2. Opp. Th. Mor. f. 38. n. 5.

§. 2. Cum ergò non detur lex naturalis, nisi detur hujus legislator; quem Deum esse dicimus; quandoquidem *tacitus hominum consensus*, si quem fingere velimus, longè minus sufficiens sit, quam ut tam augustam, cunctisque gentibus venerabilem, ipsisque etiam impiis & insanis Cyclopibus, qui Deum hominesque rident, tremendam legem, condere possit, rectè fundamenti lapidem, & initium sapientiæ de officiis ex lege naturæ deducendis, cum *Luca Opalenio* (*c*) seu *Paulo Naeocelio* esse dixeris, *ut certo scias, semperq; & impressè memineris, Deum esse.* Rectè nimirum judicavit doctissimus Regni Poloniæ Marefchallus, homines impios, qui metu pœnæ ab hominibus tantum infligendæ ab eo quod est turpe abstinent, juris naturalis

(*c*) de officiis prol. p. 1.

præ-

præcepta, cunctos alios mortales ubivis locorum obligantia, non, nisi suo commodo inserviant, observaturos esse; & proinde, quanquã veritas hujus effati, *Deus est*, ita in hominis mente radiet, intellectumque ejus ita convincat, ut ulteriori confirmatione non indigeat, propter Atheos tamen, qui cum scripturas sacras abjectarum chartarum loco habeant, notitiam quoque Dei naturalem excussam volunt, ut illorum petulans nequitia confundatur, supremi legislatoris, & divini numinis existentiam asserendam esse.

§. 3. Confutatur stulta hæc, quæ Deum negat, impietas ab ipsa hominis anima, strenuè contranitente conscientia, testimoniumq; de Numinis supremi existentia, in vito etiam homine, qui νόημα hoc, *Deum dari*, exsculptum cupit, perhibente. *Vultis*, inquit Tertullianus, (d) *ex animæ ipsius testimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus, & concupiscentiis evigorata, licet falsis Diis exancillata, cum tamen resipiscit ut ex crapula, ut ex somno, sive ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam petit, & Deum nominat solum, qui propriè hic verus, unus Deus, bonus & magnus, & quod Deus dederit, omnium vox est.* Contradicit insanæ paucorum Deum negantium opinioni reliquorum hominum, populorumq;

(d) Apoleg. c. 17.

 con-

consensus, *hac una in re non dissidentium*, ut *Lactantius* (e) ait, de quo etiam auctor l. de mundo: (f) ἀρχαῖος λόγος, καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ Θεοῦ τὰ πάντα, καὶ διὰ Θεοῦ ἡμῖν συνέστηκεν. *vetus sermo est, à majoribusq; proditus inter homines omnes, universa tum ex Deo, tum per Deum, constituta fuisse.* Plurium autem, imò omnium, & quidem optimorum, & sapientissimorum hominum judicium, omnino præferendum est nonnullorum affectatæ malitiæ, & dubitationibus ex rudi quadam ferocia superioris dominium detrectante, Dei contemptu, & nimio rerum hujus seculi amore, profectis, cum secundum *Senecam*, (g) *veritatis argumentum* sit, *aliquid omnibus videri.* Qui & Deum esse, inde inter alia colligit, *quod omnibus de Diis*, (ut loquitur) *opinio insita sit, præsumptioni vero omnium hominum multum dare* Stoici soleant. Ad quod enim objectum agnoscendum naturâ, naturalique judicio, ducuntur homines, illud sanè non per errorem cognitum dici potest, nisi internas hominis facultates malè conformatas asserere, totique Speciei naturalem aliquem defectum circa ipsum Numinis sensum tribuere velis. Quanquã verò creaturis dein per errorem variè divinitatem, quam natura dictitaverat, adscripserint homines, exinde tamen ipsum divini Numinis sensum, & quod *Deus detur*, delirantis Phantasiæ, vel malè sanæ rationis, esse imaginem, inepte dicitur. Non statim

(e) de falſ. Relig. c. 21.
(f) c. 6.
(g) Ep. 117.

tim errat quoad rei ipsius veritatem, quando error committitur in applicatione.

§ 4. Negarunt quidem nonnulli Deum, sed non simpliciter, verum qualem alii docuerant, vel multos Deos, & hoc nomine *Athei* sunt nominati, quo infami titulo etiam Christianos olim, quod Gentilium superstitionem riderent, notatos fuisse constat. Cumq; *Aristoteles* (h) ipse multa de Deo *μυθικῶς, fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legem, ac ejus quod conferat opportunitatem, illata esse* referat, quis sit sanæ, sibique relictæ rationis de Deo conceptus, ponendum, ulteriusq; dein, num tale Numen detur, investigandum est, ut quando legislatorem dari constiterit, an, & qualem humano generi legem præscripserit, dein exponi possit. Conspirant autem in hoc *Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero* aliique, quod *Deus sit ens supremum, mundi autor, hominum pater, omnis boni causa, & à mortalibus ante omnia opera invocandus.* *Aristoteli* (i) Deus est aliquid, ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ, ἀΐδιον, καὶ οὐσία καὶ ἐνέργεια ὄν, *quod non motum movet, quod æternum, substantia & actus est.* ἀρχὴ, *principium, à quo tum cœlum, tum natura dependet.* Ζῶον ἀΐδιον, ἄριστον. ὥστε ζωὴ, καὶ αἰὼν συνεχὴς, καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ Θεῷ, *vivens sempiternum, optimum: ita ut vita, & ævum continuum, & æternum Deo insit.* Tale Numen dari, quæ rebellem erga Deum ferociam coërcet, Numinis hujus *providentia*

(h) 12. Metaph. 8. 50.

(i) 12. Metaph. 7.

 mani-

manifestè evincit, quam licet impudens Cyclopum malitia, quod, qua ratione æquè suavi atque potenti nutu omnia gubernet, perspicere non possit, negatum eat, perinde tamen tales B. *Theodoreto* (k) facere videntur, ὥσπερ ἄν τις ἐν νηῒ καθήμενος, καὶ τὸ πέλαγος διαπεραιούμενος, καὶ τὸν κυβερνήτην ὁρῶν τῶν οἰάκων ἐπειλημμένον, καὶ τὰ πηδάλια πρὸς τὴν χρείαν αἰνοῦντα, καὶ νῦν μὲν τὸ δεξιὸν φέροντα, νῦν δὲ τὸ εὐώνυμον μεταφέροντα, καὶ τὸ σκάφος πρὸς οὓς ἂν ἐθέλῃ λιμένας ἰθύνοντα, ἀρνοῖτο, περιφανῶς οὕτω ψευδόμενος καὶ ἄντικρυς τῇ ἀληθείᾳ μαχόμενος, μήτε κυβερνήτην ἐπὶ τῆς πρύμνης ἑστάναι, μήτε πηδάλια τὸ σκάφος ἔχειν, μήτε τῇ κινήσει τῶν οἰάκων ἰθύνεσθαι, ἀλλ' αὐτόματον φέρεσθαι, καὶ τῆς τῶν κυμάτων ἥτω περιγίνεσθαι ῥύμης, καὶ τῇ τῶν πνευμάτων ἐμβολῇ διαμάχεσθαι: *ac si quis in navi sedens, pontumq; trajiciens, gubernatorem quidem clavum tenere, & gubernacula prout opus est movere, & nunc quidem in dextrum, nunc verò in sinistrum latus declinare, navimq; ad quoscunq; velit portus appellere videat, interim tamen manifestè mendax veritatem oppugnare studens, gubernatorum puppi insistere negat, tum ipsam navim, nec remis instructam esse, nec clavi motu dirigi, sed sua sponte ferri, & per se fluctuum procellas superare, cumq; ventorum incursionibus decertare dicat.*

(k) Tom. IV. opp. orat. II. de provident. f. 332.

§. 5. Hæc *divina Providentia*, qua data Deum dari necesse est, solidè pridem Patribus Ecclesiæ contra Paganorum profanam impietatem asserta, ex eo partim, quod sapien-

pientiſſimè, conſtanter, ordinatè, harmonicè omnia tàm in regione mundi ætherea, quàm ſublunari geruntur, partim è beneficiis, quæ cæteræ creaturæ, conſpiratione quadam quaſi divino juſſu facta, in hominem perenni liberalitate conferunt, ut cane pejor ſit, ſi nutritorem tam providum & benignum agnoſcere nolit, hæc, inquam, *divina Providentia* ulterius invictè evincitur, ſi, cum ea, quæ quotidiè contingunt, vilia cenſeantur, nec tanti æſtimentur ab hominibus profanis, Θεῖα quibus extra ordinem ſupremam rerum omnium adminiſtrationem ſupremus rerum arbiter vindicat, aliquanto attentius conſiderentur. Qualia ſunt portenta naturæ inſueta, quæ in æthere, aëre, terra, & aquis nonnunqnam contingunt; pugnantes v. c. & tormenta bombardasque explodentes in aëre exercitus, futurarum bellicarum calamitatum prodromi; peregrinarum avium turmatim certantium conflictus acerrimi, & clamores, atroces infeſtorum exercituum pugnas prædicentes. Signa quoq; huc pertinent ſanguinea; cum ſtagna in cruorem vertuntur; quando panes prandii tempore propoſiti, pavimenta etiam cœlo non expoſita ſanguine ſudaſſe leguntur, perculſis hominum, qui talia obſervant, mentibus. Quis ſigna illa, quæ cladem Hieroſolymitanam tempore Veſpaſiani, & cruentam Conſtantino-

poleos

poleos expugnationem, Imperiique orientalis eversionem præcesserunt, aliunde quàm à Deo omniscio, ad præmonendos tristissimarum rerum casus, proposita credat? Quæ enim causa secunda talium portentorum dabitur? Idem sentiendum de aliis mitis visis in aëre imaginibus; de miraculis supra naturam factis. Meritò quoque inter divinæ Providentiæ singularia refertur *Magdeburgensis* iste *puerulus*, (*l*) *qui in utero matris partus doloribus extincta bimuli magnitudine repertus est, caput habens galea munitum carnea, qua chartæ instar detrahi potuit, & pedes ocreatos. Cujus etiam corpusculo mantica militaris adhæserat, in qua orbiculari glandes, consimiles iis, quæ* musquettis *emittuntur.* Loquuntur divinam providentiam mirabiles istæ pœnæ, quæ sceleratis nonnunquam immissæ, etiam profanorum & impiorum mentes ita percellunt, ut Dei digitum potius venerari, quam fortuitum casum quendam agnoscere malint; ita ut & à Gentilibus, si qui in Deastros illorum impii fuerunt, iidem hoc nomine postmodum, si quando infeliciter omnia cesserint, vel miserabili fato extincti perierint, impietatis, & sacrilegii sui pœnas Diis dedisse crediti fuerint. Tam admirabiles denique, nec prius prævisi casus occurrunt, ut nisi superior quidam rerum humanarum moderator ita disposuisset, omnia tàm accuratè, ordinatè

(*l*) Cluver. Epit. Histor. p. 772.

natè ſic in unum confluere, ac velut conſpirare, & ſe mutuo juvare non potuiſſent, (m) ita ut judicio *Salviani* (n) *omnes etiam religionis expertes vi ipſa, & quadam neceſſitate compulſi, & ſentiri omnia à Deo, & moveri, & regi, neceſſe habeant confiteri.*

(m) Vid. Dion. Petavius Theol. dogm. t. 1. f. 528.

(n) l. 1. de Dei gubern

§. 6. Deum eſſe, ipſe *mundus* etiam in tempore à Deo *conditus* confirmat. Quanquam enim mundi æternitas partim ex ignorantia ſupina, partim ex malitia & olim aſſerta fuerit, & hodiè adhuc ab Atheis fingatur, ex ipſis tamen gentilibus complures olim originem mundi agnoverunt. Ita *Thales Mileſius aquam omnium principium* dixit apud *Plutarchum*, (o) qui etiam alibi (p) diſquirit, ἀπὸ ποίȣ ςοιχείȣ ἤρξατο κοσμοποιεῖν ὁ Θεὸς, *à quo elemento orſus ſit mundi opificium Deus.* Ita *Empedocles*, *Plato*, *Stoici* mundum factum eſſe aſſeruerunt, quæ complurium aliorum etiam fuit opinio. Ex poëtis *Ovidius* (q) mundi originem ita depingit:

(o) de plac. Phil. l. 1. c. 3.

(p) de plac. Phil. 2. 6.

(q) 1. Metam. f. 1.

Ante mare & terras, & quod regit omnia, cælum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigeſtaq; moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaq; eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Et poſt

Hanc Deus & melior litem Natura diremit.
Nam cælo terras, & terris abſcidit undas,
Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab aëre cælum.

Quanquam autem Epicurus fortè, & casu ortum esse mundum docuerit, rectè tamen ille refutatur per ea quæ *Plutarchus* (*r*) disputat: *Notionem Dei*, inquit, *suggessit primum conspecta eorum, quæ in mundo sunt, pulchritudo*, οὐδὲν γὰρ τῶν καλῶν εἰκῆ, καὶ ὡς ἔτυχε γίνεται, ἀλλὰ μετά τινος τέχνης δημιουργούσης. *Nihil enim eorum quæ pulchra sunt temere & fortuito nascitur: sed ab arte aliqua efficitur.* Mundumq; hominum causa à Deo factum esse, ipse agnovit *Cicero.* (*s*) *Cogitavit nos ante natura, quam fecit*, ait *Seneca*: (*t*) Nec desunt rationes, quibus mundum à Deo factum, in tempore incepisse, solidè probari queat. Hoc ipso enim quo demonstratur mundi autorem esse Deum, eo ipso mundum cœpisse convincitur, cum nihil ab agente causa productum dici possit, nisi esse suum ab illa acceperit. Et cum in omni effectiva rerum productione terminus *à quo* sit τὸ *non esse* rei, si non simpliciter, certè *non esse* tale, necesse est, ut, in quantum τὸ *esse* aliquid accipit, in tantum quoque durare incipiat, ita ut reali successione τοῦ *non esse*, sub quo res producta prius fuit, successerit τὸ *esse*.

(r) de plac. Phil. l. 1. c. 6.

(s) 2. de nat. Deor.

(t) 6. de benef. c. 23.

§. 7. Etsi verò Theologiæ gentilis hic error trabalis fuerit, ut materiam quandam Deo coæternam statuerint Ethnici, ex eo tamen, quod ex materia illa mundum esse productum docuerunt, eundem incepisse crediderunt. Illud nimirum *Democriti* effatum:

tum: μηδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι, μηδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι, *nihil ex nihilo gigni, nihil in nihilum reverti*, cum & cæteris imposuiſſet, materiam, qua Deus uteretur, præextitiſſe ſomniarunt; quanquam & obſervante ex *Origine* doctiſſimo *Thomaſio*, *(u)* ſibi materiæ Deo coæternæ exiſtentiam ideo perſuaſerint, quod abſolvi eundem crederent, ne cauſa mali haberetur, cum vitio materiæ increatæ ortum eſſet, quicquid peccati è natura hominis ebulliret.

(u) Sched. Hiſt. p. 29.

§. 8. Cæterum ut aliorum rationes, quæ pro productione mundi in tempore aſſerenda afferri ſolent, in præſenti mittamus, ſi mundus æternus foret, jam dudum ſupra mare nulli amplius extitiſſent ſcopuli. Non infeliciter urget hoc *Iſaacus Voßius*: (x) *exeſæ*, inquiens, *ſunt quidem ſcopulorum radices, ſtant nihilominus, quod ſi ab æterno, mari fuiſſent obrutæ. Tempus enim ſi in infinitum producas, jam quoq; infinitus erit terminus rei, quæ ab æterno neceſſario contigit, cum tamen ratio vetet, ut terminus ſtatuatur, ubi nullum ſit initium. Licet itaq; concedatur, ut vel annis mille Platonicis Oceanus unam duntaxat abradat unciam, non tamen efficies, ut ſcopuli non ab æterno fuerint conſumti.* Stat ergo mundum in tempore eſſe conditum, quo dato, dabitur quoq; Deus mundi autor, atq; legis naturalis nobis inſitæ lator optimus, juſtiſſimus & ſanctiſſimus.

(x) de ver. mund. ætat. p. 2.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Imperio & jure Dei in hominem.

§. I.

(a) t.1.f.680. DE *Alexandro* Magno, author est *Plutarch.* (a) quod in Ægypto Psammonem Philosophum audiens, ex dictis ejus hoc maximè probaverit, ὅτι πάντες ἄνθρωποι βασιλεύονται ὑπὸ Θεοῦ. *Omnes mortales à Deo regi.* Nimirum ut opifex potentissimus, ita rerum creatarum supremus & absolutus est arbiter, cujus proinde imperio uti non uno nomine homo est obnoxius, ita, ceu divinæ hujus potestatis in suum caput effectum, *legem naturalem* agnoscere tenetur. Creatum quippe Deus hominem suæ bonitatis sic reddidit participem, ut per omnia ab eodem dependeat, eidemque, ceu conditori & benefactori suo, propter tot tantaque accepta beneficia sit subjectus. Quanta est, Dei est creatura, à quo, quicquid habet, etiam homo accepit. αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν, καὶ πνοὴν, πάντα, *Paulus* (b) olim ad Athenienses sapienter dixit, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *hujus enim genus sumus*, ut *Arati* habent verba. *Clemens Alexandrinus* (c) addit, διὸν δημιουργία, nempe *creatione.* Quod nisi foret, vel homo sui juris per omnia esset, nec à Deo dependeret, supremo numini, ob ejus eminentiam

(b) Act. 17.25.

(c) V. strom.

nentiam præcise, subjectus dici non posset, cum eminentia simpliciter jus non conferat in alios tanquam subditos, nisi hi aliunde istam eminentiam agnoscere teneantur.

§. 2. Competere Deo *jus hominem creandi*, suprema, illimitataque ipsius, cum independente agendi virtute conjuncta potestas evincit, qua pro arbitrio nos formare potest secundum sapientiæ suæ ideam perfectissimam, rerum creandarum naturæ & veritati exactissime respondentem, cui ob summam essentiæ suæ perfectionem immutabili quadam;& naturali necessitate Deus, libere licet, si exercitium & speciem actus spectes, convenienter agit, qui alias à se ipso diversus esset, & sibi contrarius futurus, si cum idea, & sapientia divina, non externa conveniret actio. Est nimirum divini intellectus idea de aliqua re, ipse conceptus in Deo formalis & imutabilis, ad cujus similitudinem creaturæ producuntur, cuiq; ita accuratè & examussim respondent, ut eo modo perficiantur, quo fuerunt divinæ mentis conceptui repræsentatæ, juxta tamen liberæ voluntatis determinationem. Quemadmodum vero divina sapientia perfectissimè omnia intelligens, divino intellectui ex naturali perfectione, non per liberum voluntatis actum, competit, ita quoque ante eundem divinæ menti rerum creandarum rationes exemplares convenire,

hasque

hasque proinde æque immutabiles esse, atq; immutabilis est divina sapientia, censeri debet. Ex quo consequitur, Deum hominem creaturum, etsi libere eidem quoque hanc, & non majorem perfectionem tribuat, si tamen hominem, & non brutum creare velit, non aliam quam rationalem eidem posse concedere essentiam.

§. 2. Recte quidem scribit Græcorum doctissimus *Isidorus Pelusiota* (d) ἐπειδὴ νοῦς τὰ ὑπὲρ νοῦν νοῆσαι οὐ δύναται, οὐδὲ λόγος τὰ ὑπὲρ λόγον φράσαι, παραχωρείτω πᾶσα ἀνθρωπίνη φύσις τῷ μεγέθει τοῦ πράγματος, καὶ μὴ τὴν οὐσίαν περιεργαζέσθω, ἀλλὰ προσκυνείτω τὴν ἀξίαν: *quoniam mens ea, quæ supra mentem sunt, intelligere non potest, neq; sermo ea, quæ sermone altiora sunt, effari, ideo omnis humana natura cedat magnitudini rei, neq; enim essentiam divinam curiose inquirat, sed majestatem adoret.* Pie quoque D. *Balthasar Menzerus* (e) *quid Deus absoluto jure possit, se ignorare,* ait. Verum cum νόημα de Deo in nobis reliquum, eundem nihil, quod ipsius perfectioni repugnet, agere posse nobis dictitet, bene dicitur, divinam potestatem, & divina jura, divinum itidem imperium, cæteris divinis attributis, bonitati sc. sapientiæ, justitiæ, & misericordiæ divinæ, ceu normæ, convenire. Et quanquam ipse nullis legibus sit obnoxius, quocunque tamen modo supremus rerum moderator agit, nil tamen committit, quod ipsius sancti-

tati,

(d) l. 4. Epist. 211.

(e) t. 2. opp. p. 637.

tati, sapientiæ, bonitati, & justitiæ, non sit congruum; perfectissimum enim agens, non potest non nisi perfectissimo agere modo, non ex defectu potentiæ, sed ex naturæ perfectione. Non malè *Plato* apud *Sextum Empiricum* (*f*) ὡς θερμοῦ φησὶν ἴδιόν ἐστι, τὸ θερμαίνειν, καὶ ψυχροῦ ἴδιόν ἐστι, τὸ ψύχειν, οὕτω καὶ ἀγαθοῦ ἴδιόν ἐστι, τὸ ἀγαθοποιεῖν, *quomodo calidi*, inquit, *proprium est calefacere, & frigidi proprium est, frigefacere, ita & boni proprium est benefacere*, & quod addimus, sapientis proprium est, Dei sc. sapienter agere. Unde cum homo pro animali rationali habeatur à divina sapientia *antecedenter* voluntatem divinam respiciente, non verò demum per liberam voluntatem ejusdem tale sit; Deum quoque hominem conditurum, non aliud quàm animal rationale creare potuisse relinquitur, quia non nisi sapientissimè, h. e. essentiali, & per consequens immutabili, rerum perfectioni convenienter agere potest.

(*f*) l. 10. adv. Mathem. p. 450.

§. 4. *Naturæ* rerum dicuntur alias *æternæ, & immutabiles*, non eo quidem sensu, quasi v. c. *hominis essentia sit semper & invariabiliter, idq; ab æterno, & omnino independenter à Deo*, quemadmodum nonnulli apud *Petrum à S. Ioseph*, (*g*) *essentiam crediderunt habere proprium quoddam esse actuale, seclusa existentia, seu etsi actu non existat, nimirum antequam actu existere incipiat, & postquam desiit existere.* Cum absur-

(*g*) Meta. 2.2.ii. 1. add. Becan. Theol. Scholast. t. 1. q. 1. p. 74.

ſurdum ſit, dici aliquid præter Deum independens, quandoquidem omnis eſſentia, quæ non eſt ipſe Deus, à Deo dependeat, ceu prima omnium rerum cauſa: verum tales appellantur ob perpetuam & immutabilem connexionem requiſitorum eſſentialium, ad certæ alicujus eſſentiæ, v. c. hominis, conſtitutionem neceſſariorum. Non enim poteſt eſſentiale prædicatum aliquod detrahi ab eſſentia aliqua, ſalva eadem manente: deſinit enim vera eſſe, cum talis amplius non ſit, qualis natura ſua eſſe debeat, ſi enim à luce vim illuminandi detraxeris, habebis non lucem. Recte *Auguſtinus* (h) *duo & tria ſeptem eſſe*, inquit, *perpetuo verum eſſe, etſi nihil ſit, quod numeretur.* Quod adeò verum eſt, ut ne Deus quidem eſſentias, ut eædem maneant, mutare poſſit, cum contradictionem implicet, aliquid eſſe lapidem, & tamen lapidis non habere eſſentiam: & ſi Deus volens producere hominem, non eſſentiam rationalem, ſed vel lapidis, vel aliam ei tribueret, non hominem, ceu qui immutabiliter eſt animal rationale, ſed vel lapidem, vel aliam rem conficeret. *Conveniunt equidem, ut* (i) *Hurtadus de Mendoza* ſcribit, *eſſentia rebus libere, quando nimirum exiſtunt, quia libere fiunt à Deo, dicuntur autem neceſſario convenire, quia Deus producere volens hominem, non poteſt illi tribuere eſſentiam lapidis, quia non faceret hominem, ſed lapidem,*

(h) l. 2. de lib. arbit. 7. c. 8.

(i) Diſp. Metaph. 8. ſ. 1. §. 7.

dem. Immutabiles ſunt itaque rerum naturæ, ſeu conſiderentur ſecundum ſe & abſolutè, ſeu in quantum divinum reſpiciunt intellectum, in quo repræſentantur. Cum enim non ex quolibet poſſit fieri quodlibet, non etiam quælibet, ſed certa & determinata eſſentialia certam quoque & determinatam eſſentiam, hominis v. c. conſtituere poſſe certum eſt, quibus immutatis, ipſam quoque immutatam priorem eſſentiam tolli & interire neceſſe eſt. Verus homo ut aliquid dici queat, tale ſit oportet, quale debita hominis natura illud eſſe exigit, quicquid interim judicat intellectus, citra cujus etiam operationem eſſentiæ non niſi per ſe ſibi congrua, & convenientia conſtituuntur. Et hoc veritatis genus, ut eſt immutabile & indiviſibile, ita quoque rerum, quæ veræ dicuntur, eſſentiæ ſunt immutabiles, & indiviſibiles.

§. 5. Nec, quando hæc ita diſquirimus, complura præter Deum immutabilia & increata à nobis introducuntur, cum neceſſarium abſolutum, quod in ſe & ſua natura eſt invariabile, aliud ſit *independens*, quod *à ſe* ſimpliciter eſt neceſſarium, tàm quoad eſſentiam ſuam, quam quoad attributa propria, qua ratione ſolus Deus abſoluta & immutabili neceſſitate eſt id, quod eſt; aliud *dependens*, quod licet non *à ſe*, *in ſe* tamen in certo genere, ratione ſcil. veritatis ſuæ, eſt invariabile & immutabile,

ita ut si non aliud, sed hoc esse debeat, hanc quoque, his necessario atttributis essentialibus constantem naturam, & non aliam ei tribuere oporteat. Aliter nimirum judicandum est de *rei essentiis*, aliter de *rei existentia*. Illæ sunt sicut numeri. (k) ὥσπερ, inquit *Aristoteles*, ἀπ᾽ ἀριθμοῦ ἀφαιρεθέντος πνὸς ἢ προστεθέντος, ἐξ ὧν ὁ ἀριθμός ἐστιν, οὐκ ἔπ ὁ αὐτὸς ἀριθμός ἐστιν, ἀλλ᾽ ἕτερος, κἂν τοὐλάχιστον ἀφαιρεθῇ ἢ προστεθῇ. οὕτως οὐδὲ ὁ ὁρισμὸς, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶ(ναι), οὐκ ἔτι ἔσται, ἀφαιρεθέντος τινὸς, ἢ προστεθέντος. *Quemadmodum de numero ablato, aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diversus, etiamsi minimum auferatur, aut addatur: ita nec* definitio, *nec ipsum* quid erat esse *erit amplius, ablato aliquo, aut addito.* At verò in existentia res considerata, cum è causis suis educitur, vel educta est, capit ab idea sui artificis mensuram, ita ut v. c. vera dicatur domus, quæ conformis est ideæ architecti, verus etiam sit homo, qui actu existens respondet divini intellectus exemplari, talisq; est, qualem natura ipsius debita, eiq; ceu objecto exactissimè, ex summa naturæ Dei perfectione, & immutabiliter respondens divinæ mentis idea, esse exigit.

(k) 8. Metaph. 3, 10.

§. 6. Æque immutabiles sunt naturæ rerum, si considerantur prout divinus intellectus eas cognoscit, & prout in mente divina per ideas repræsentantur. Ob summam enim, & infinitam intellectus sui perfectio-

fectionem, Deus creaturas non aliter cognoscere potest, quam quales ut sint natura ipsarum debita exigit, nec ipsius menti aliter objici possunt, quam quales in se sunt, & esse debent, nec denique eas Deus aliter ut sint, vel fiant, concipere, & aliter concipiendo immutare potest, ob absolutam, & infinitam scientiæ suæ eminentiam, qua ipsius judicium rei, prout est, & esse debet, exactissimè respondet. Nec divinæ potentiæ & libertati hoc pacto aliquid decedit, cum illa reliquis divinis attributis, bonitati sc. sapientiæ, justitiæ, & perfectioni divinæ, convenienter explicari debeat; hæc verò non in intellectum, sed in voluntatem cadat. Nam divino intellectui objectæ res non aliter apprehenduntur, nec aliter dijudicantur, quam quales sunt, & apparent; unde sequitur, non posse Deum id rei & ipsius naturæ conveniens judicare, quod ipsi repugnat, vel illud ei tribuere, quod eandem destruit, vel in aliā speciem immutat. Ipsæ præterea *ideæ*, res creatas divinæ menti repræsentantes, *sunt*, judice *Augustino* (*l*) *principales formæ quædam, vel rationes rerum* stabiles atque immutabiles, *quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habentes, quæ in divina intelligentia continentur; Et quum ipsæ neq; oriantur, neq; intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri & interire potest, quod oritur & interit.*

(*l*) l. de div. quæst. 83. q. 46. de civit. Dei 7. 28.

 Et

Et mox: *Quod si hæ rerum omnium creandarum, creatarumq; rationes in divina mente continentur, neq; in divina mente quicquam, nisi æternum atq; incommutabile esse potest; non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, & ejusmodi atq; incommutabiles manent: quare participatione fit, ut sit, quidquid est, quoquo modo est.* Et ante *Augustinum Seneca (m)* docuit, *exemplaria rerum omnium Deum intra se habere, numeros universorum quæ agenda sunt, & modos mente complexum esse. Plenum his figuris esse, quas Plato ideas appellat*, immortales, imutabiles, *infatigabiles. Itaq; homines quidem perire, ipsam autem humanitatem, ad quam homo effingitur, permanere, & hominibus laborantibus, intereuntibus, ipsam nihil pati.*

(m) Epist. 65.

§. 7. Quæ cum ita sint, patet quod, quanquam Deus uti omnia, ita quoque hominem liberrima voluntate condiderit, non tamen hoc inde consequatur, uti Dn. *Pufendorfio (n)* quidem videtur, *in beneplacito ejusdem fuisse, qualem homini naturam vellet assignare*, ita ut hanc, qua jam gaudet, naturæ conditionem, *Creator homini libere attribuerit.* Quanquam enim de individuo, quod Deus hominẽ libere condidit, hæc vera sint, cum sicut Deus Te libere hominem condidit, ita quoq;, si ipse voluisset, brutum te creare potuisset, falsũ tamen est, quod, quando te hominem condere statuerit, aliam quam humanam, hoc est, rationalem naturam, tibi attribuere potuerit, ut proinde, quanquã libere,

(n) de I.N.& G. *l.* 2. 6.

bere & ex divino beneplacito sis homo, cum tamen homo sis, ex immutabili quadam necessitate naturam rationalem sortitus sis. Sicut enim Deus triangulum effecturus, non aliam, quàm tribus angulis constantem figuram novit conficere, ita hominem creaturus, non aliam, quàm rationalem essentiam, ei tribuere potest; cum si aliam eidem concederet, non hominem, sed alterius speciei individuum produceret, cui licet *hominis* appellatio imponi posset, verus tamen minimè homo foret, cũ vera hominis natura destituatur. Nec fingitur hoc pacto Deo aliquid prius. Sicut enim non aliquid Deo prius inde introducitur, quando illius omnipotentiã se ad omnia ea, sc. quæ contradictionem involvunt, extendere negamus, ita nec quando essentias rerum immutabiles esse dicimus: Et quanquam propriæ creaturarum naturæ, ceu objecta divinæ cognitionis, à nobis ut anteriores ipsa divina scientia concipiuntur, non tamen ad ipsam divinam essentiam *antecedenter* se hoc nomine habent. Non etiam adjungitur Deo principium aliquod coæternum extrinsecum, quod ipse in assignandis rerum formis sequi necessum habuerit, cum ipsimet cum B. *Augustino* (o) negemus, *Deum extra se quicquam positum intueri, ut secundum id constitueret, quod constituebat.* Qui enim agit secundum sapientiam suam omni perfectionis gradu

(o) l. de divers. quæst. 83. q. 46.

 per-

perfectissimam, rerumque naturas in se immutabiles, immutabiliter quoque, ob exactissimam inter divinam ideam & rem externam convenientiam, divinæ cognitioni repræsentantem, non agit secundum aliquod principium externum. Divino enim intellectui, ut alibi docetur, creaturæ non repræsentantur per species ab illis desumptas, sed est aliquid intimius Deo, quod res creatas eidem exhibet, ipsa nimirum divina essentia, in qua omnes rerum naturæ, sicut in se sunt immutabiles æquè atque immutabile est, bis duo esse quatuor, vel triangulum aliquod tribus constare angulis, ita quoque ob summam divinæ mentis perfectionem immutabiliter relucent. Quanquam vero divina sapientia, in quantum cum liberrima voluntate Dei conjungitur, libere transeat ad extra, in se tamen spectata, est, manetque immutabilis atque simplicissima, simplicissime unum quid cum divina essentia.

§. 8. Nec suo destituitur usu, vel otiosa est, modo instituta de *immutabilitate essentiarum* disquisitio, quidquid sit de proprietatibus rerum, ubi divinam potentiam ita mensurare nobis religio est, ac si rei repugnaret tolli à subjecto proprium. Disputat Dn. (p) *Pufendorfius*, qua ratione *actioni hominis competat moralitas*, existimatque *revera omnes motus & actiones hominis, remota omni lege, tam divina, quam humana esse indifferentes;*

(p) l. c.

rentes; earum autem aliquas ideo tantum naturaliter honestas, aut turpes dici, quod eas fieri, aut omitti, quàm maximè requireret conditio naturæ, quam creator homini libere attribuit. Unde mox infert, quod sicut *ex divino beneplacito* homo, quam habet, naturam accepit, ita quoque *moralitatem actionum ipsi, ut sociali, convenientium vel disconvenientium ex eodem fonte derivari par esse. Vt adeo ista his competat non ex necessitate absoluta, sed hypothetica, posita ea conditione, quam homini præ reliquis animantibus Deus libere assignavit.* Nos contra affirmamus, quod sicut immutabili quadam ratione homo est animal rationale, & ab immutabili quoque divina sapientia pro tali animali immutabiliter habetur, ante divinæ voluntatis actum, ita quoque ante eundem, & sic quoque ante legem, certos actus homini, & naturæ ejus rationali convenire, & non convenire. Eundem etiam legi naturæ sic esse obnoxium, ut non possint non eum decere, eique esse congrua, quæ in lege naturæ præcipiuntur, ut proinde jure quoque ad ea præstanda à Deo obligari possit.

§. 9. Ex hoc *jure creandi*, quo Deus gaudet, oritur divinum ejus in *res creatas dominium*, quo omnes tanquam proprias possidet. Omne enim opus, in quantum tale, sui est artificis à quo producitur, sicut vas figuli à quo effingitur: unde cum penitus simus Dei, qui non ex aliena, vel quadam

eidem coæterna, ut priscorum nonnulli deliratunt, sed ex quadam à se, & ex nihilo creata materia nos produxit, toti quoque hinc Dei sumus, quod etsi *Mosi Amyrald:* (q) non ita videatur, conceditur tamen ab ipso *Crellio* (r) homine Sociniano. Hocque imperium Dei in homines, ut est independens, quod à nullo accepit, ceu qui libere, suopte arbitrio, non aliunde jussus vel adjutus, propria virtute omnes creaturas produxit, nullius superioris voluntati obnoxius; ita quoque absolutum, aliunde non restrictum, aut limitatum, reliquis tamen attributis, sapientiæ scilicet, justitiæ, & sanctitati conforme est. Et quanquã creaturæ suæ reddere rationem non tenetur, non tamen interim aliam in hominem potestatem habet, quam quæ ipsius naturæ, ejusque proprietatibus, & virtutibus est consentanea, quicquid *Amyraldus* contradicat, solide hoc nomine ab aliis confutatus.

(q) de jure Dei in creat

(r) de Deo & attribut. c. 23.

§. 10. *Plenum* hoc Dei *in homines dominium*, jus quoque eidem confert, *creaturis pro arbitrio utendi*, cum qui absolutus est rei dominus, illi quoque eadem, prout ipsi videtur, uti concessum sit, cum nullum agnoscat, qui hanc ipsius facultatem & jus restringere, eumque ad rationem reddendam vocare queat. Quanquam verò ex plenitudine potestatis, Deo & *directum* & *utile*, ut sic loqui liceat, cunctarum rerum competat dominium, ordinatum tamen illud, & tempera-

peratum est divina sapientia, bonitate, sanctitate, justitia & æquitate, quarum illa ceu perfectissimum divini intellectus lumen prælucet, hæ vero normæ & legis æternæ instar divinam voluntatem in suis dirigunt actionibus. Ex hoc autem, quod Deus jure gaudet rebus creatis pro arbitrio utendi, patet quod eas, & sic etiam hominem ad *certum finem* condere possit, ad eum nimirum, qui ipsius sanctitati & bonitati, creaturæ verò naturæ est conveniens. Unde patet ulterius, quod quemadmodum Deus hominem conditurus, illum non aliud, quam rationale creare potuit animal, ita quoque eundem suæ rationali naturæ convenienter creaturus, ad finem mere naturalem, vitamque mortalem qualem bruta vivunt, sine sensu & cognitione Dei, condere non potuerit. Obstat enim animalis hujus divinitas, præstantia, & cum Deo cognatio, *Aristoteli* (s) etiam cognita, cui τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ἢ μόνον μετέχει τοῦ θείου τῶν ἡμῖν γνωρίμων ζώων, ἢ μάλιστα πάντων, *hominum genus, aut unum ex omnibus animalibus nobis cognitis divinitatis particeps est, aut omnium maximè* dicitur. Ob hanc fieri nequit, ut, cum simus agentia intellectualia, ad alium quàm finem quoque rationalem simus creati. Cumq; voluntas natura actum amoris ex se, dato objecto amabili, eliciat, ergo si sibi & naturæ rationali convenienter movetur, id quod est optimum, Deum scil.

(s) l. 2. Part. Animal. c. 10.

 amabit,

amabit, quare nec universi conditor hominem aliter, siquidem eundem naturaliter perfectum condere constituit, producet, quam ut amore feratur in id, quod est optimum, naturæ ipsius rationali convenientissimum, supremũ nimirum & optimum Numen, quod secundum *Synes.* (t) ἀγαθὸν ὑμνοῦσιν ἅπαντες ἁπανταχοῦ, καὶ σοφοὶ δῆμοι, καὶ ἄσοφοι, *bonum celebrant omnes ubiq; & sapientes populi & insipientes.* Si verò creatura rationalis sine Creatoris sui amore produceretur, tum *hoc ipso*, uti loquitur *Iansenius Yprensis*, (u) *quo illo principij sui amore caret, velut pondere, quo in locum suum connaturalem urgeatur, distortæ perversæq; voluntatis esset.* *Necesse enim erit*, uti mox rursus scribit, *ut vel seipsam, vel aliud à se diligat, & consequenter ut seipsam ante diligat.* Utrumvis autem fecerit, non rectè fecerit. *Voluntas enim*, judice eodem ulterius, *non diligens Deum, seu actu, seu habitu, non nisi mala & perversa esse potest, quia non diligit id, quod eam diligere æterna lex jubet.*

(t) de Regn. p. 9.

(u) T. 2. de Stat. natur. pur. f. 691.

§. 11. Cæterum quemadmodum qui sui juris est artifex, rem in sui non solum usum & commodum, sed & in aliarum etiam utilitatem conficere potest, ideo quod illius est dominus, hæc vero ipsius propria, ita quoque supremus rerum dominus & creator, creaturas suas, & sic etiam hominem, propter se non solum producendi, & in suam gloriam, ceu finem ultimum, dirigendi,

sed

ſed etiam in aliorum bonum ordinandi, jus habet. Quanquam enim Deus ſibi ipſi ſufficiat, nec ut beatus ſit alio aliquo externo, creaturis ſc. ſuis, indigeat. *Iupiter*, inquit Seneca. (x) *reſolutio mundo, & Diis in unum confuſis; pauliſper ceſſante natura, acquieſcit ſibi, cogitationibus ſuis traditus.* Et ex Chriſtianis *Euſebius Cæſarienſ.* (y) *primo omnium*, ſcribit, *de Deo opinamur, quod ipſe perfectiſsimus atq; beatiſſimus ſit, ſibi atq; cæteris ſufficiens, omnium ipſe rerum principium, ipſe medium, ipſe finis.* Potentiæ tamen ſuæ, ſapientiæ, bonitatis & juſtitiæ ut ederet monumentum, mundum creavit propter hominem, hominem propter ſe ipſum. *Omnia quæ ſint in hoc mundo, quibus utantur homines, hominum cauſa facta eſſe, & parata*, olim *Cicero* (z) docuit. Conſentit *Lactantius.* (a) *vera*, inquit, *eſt ſententia Stoicorum, qui ajunt noſtra cauſa mundum eſſe conſtructum. Omnia enim quibus conſtat, quæq; generat ex ſe mundus, ad utilitatem hominis accommodata ſunt.* Jure ergo propter Deum autorem horum bonorum homo quoque creatus eſt, nec poteſt alius finis hoc, quo homo dicitur eſſe propter Deum, naturæ hominis rationali & intelligenti convenientior eſſe. Nihil enim hominem magis decet, quàm ut, cum complura inſignia à Deo beneficia accepit, conditorem hunc ſuum optimum hoc nomine colat, omnique laude proſequatur. Quod ſummo jure homo Deo propter

(x) Ep. 9.

(y) præp. Evang. 8. 2.

(z) l. 2. de Nat. Deor. n. 57.

(a) de Ira c. 13.

propter beneficium Creationis debet, & quod Deus hominem creaturus intendit, propter id etiam à Deo creatur: quare patet hunc hominis etiam finem esse, ut beneficia Dei in se collata, grata mente agnoscat, omnique gratiarum actione celebret. justum quippe hoc est, cum Deus hominem condiderit, ut suam sapientiam, bonitatem, justitiam, potentiam notam faceret, divinæ huic intentioni homo respondeat, idque cum utatur ratione sibi habeat propositum, ut in laudes Dei, ejusq; sapientiæ & bonitatis, devota mente erumpat, cum ad has sibi deferendas eundem supremus rerum arbiter beneficiis obligaverit. Imo sapienter Deus quoq; facturus hominem propter se creare debet, partim quia gloriam Soli DEO à creatura debitam alteri non potest concedere, nec se abnegare, partim quia, nisi homo Deum, ceu centrum & terminum suum respiceret, creaturam moraliter malam & inordinatè se habentem produceret. Sequitur hinc supremum Numen lege lata eadem homini præcipere, eundemq; ad talia præstanda condere posse; ex quo etiam cognoscitur, *quo jure Deus homini officia sibi debita præcipere queat.*

§. 12. Potest etiam Deus condere hominem *propter proximum,* ut ei inserviat. Libera enim & absoluta cum ipsius sit potestas, ad ea creando hominem destinare potest, quæ ejus-

ejus ſapientiæ, bonitati & juſtitiæ, hominis item naturæ, non repugnant. Quare cum ei hominem animal ſociale condere placuerit, mediiſque eundem ad vitam ſocialem vivendam neceſſariis inſtruxerit, ita ut ſeparatam alias acturum vitam, vinculo quodam ad communitatem illam, quam omnes homines ideo quod ſunt ejuſdem naturæ conſtituere intendit, conſervandam colligaret, ſic omnia ordinavit, ut alter alterius ope opus haberet; cumq; iiſdem omnes ſimus obnoxii neceſſitatibus, alter alteri, ſi viciſſim ab eo auxilii quid exſpectare vellet, inſerviret. Cumque ſocietas humana citra ordinem jubentium & parentium ſubſiſtere neſciat, citra ullam in homines injuriam, ſupremus rerum Dominus æqualitate illa, quæ alias in hominum iſta inordinata multitudine Futura eſſet, ſublata, homines hominibus ſubjicere, hisq; imperandi majeſtatem, illis parendi gloriam relinquere potuit. Et quemadmodum ſupremum in omnia dominium, libertimaque divina poteſtas in hoc maximè conſpicitur, ut res homini, tum cui vult, tum etiam quouſque vult, pro ſuo ſubjiciat arbitrio, & ab eodem rurſus revocatas in alium transferat, ita quin homini quoque, qui per omnia Dei eſt, ut bonis illis quæ à Deo accepit alteri inſerviat, vel alteri ſe ſubjiciat, ipſiuſq; in ſuum caput poteſtatem agnoſcat, imperare poſſit omni caret dubio. Unde Ci-

cero

(b) 3. Offic. cero, (b) hoc, inquit, *natura praescribit, ut homo homini, quicunq; is sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit*. Qui etiam alibi (c) docuit, *homines hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alius alij prodesse possit*. Ex quo colligitur, *jus* quoque Deo competere, lege implantata *socialia praecepta homini praescribere*, eique quae in vita sociali erga alios, vel etiam erga seipsum exercere debet, officia dictitare.

(c) 1. Offic.

§. 13 Pars nimirum hujus juris, quod Deus, ceu supremus Dominus, in homines exercere potest, est *imperium* in eosdem, quo illos gubernat & regit, quod ut à potestate divina in res brutas, vel prorsus inanimatas distinguatur, in creaturas intellectu & voluntate praeditas propriè se exerere dicitur. Liberum quoq; est hoc, independens, & supremum, amplissimum & plenissimum, sapientia tamen, justitia & bonitate temperatum, id quod creaturae, ipsiusq; naturae & fini propter quem est condita, congruum est respiciens. Concernit hoc divinum in homines imperium non externam solum actionum honestatem, sed, & quidem primo omnium, *Conscientiam* quoque internam mentis, è qua oriuntur omnes de bono & malo cogitationes, sanctitatem & affectuum puritatem. Nec cum illis sentimus (d) *quibus juris naturalis scita ad forum duntaxat humanum adaptanda* videntur, quasi *jus naturale* magnam

(d) Pufend. praefat. de Offic. Hom.

magnam partem circa formandas hominis exteriores actiones versetur. Quod enim olim *Hannibal* (e) eos falli dixit, *qui amnes non ab ipsis fontium primordiis derivare, sed concretis jam aquarum molibus avertere, vel exsiccare volunt*; id suo modo hic verum est, frustra sc. formari, & legibus subjici actiones hominis exteriores, nisi & internæ legibus dirigantur & assuefiant. Ex corde enim impuro non nisi impuræ exoriuntur actiones, & cui impunè licet in mente atrocia quæque moliri scelera, quî mirum si cogitata impietas in externam exeat immanitatem. Taceo amplitudini divini in hominem imperii adversari, si quoad actus interiores, qui per se & primo sunt actiones hominis, quorum signa sunt actus exteriores, eidem mortales obnoxios esse negemus. Certum itaq; cum sit, internis actionibus foras non exeuntibus peccari posse, imo actu peccari, legem quoque illis præscribi posse manifestum est. *Latro,* eleganter inquit *Seneca,* (f) *est, etiam antequam manus inquinet: quia ad occidendum jam armatus est, & habet spoliandi, atq; interficiendi voluntatem.* Jam verò secundum *Aristot.* (g) ἐκ τῆς προαιρέσεως κρίνομεν ποῖός τις: τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ τίνος ἕνεκα πράττει, ἀλλ' οὐ τί πράττει, *ex electione judicamus, qualis quis sit: cujusq; rei gratia fecerit, sed non quid fecerit.* Internam hanc mentis impuritatem, non in actus exteriores erumpentem, haud inepte describit

(e) apud Iustin. 31. 5. 7.

(f) 5. de benef. c. 14.

(g) 2. Eudem. c. 11.

Plutarch.

(h) de virt. & vit. t. 2. f. 100.

Plutarch. (h) exemplo vitiosi somniantis, μεθ' ἡμέραν, inquiens, ἔξω βλέπουσα καὶ συσχηματιζομένη ἡ κακία πρὸς ἑτέρους, δυσωπεῖται καὶ περικαλύπτει τὰ πάθη, καὶ οὐ παντάπασι ταῖς ὁρμαῖς ἐνδίδωσιν ἑαυτὴν, ἀλλ' ἀντιτείνει, καὶ μάχεται πολλάκις. ἐν δὲ τοῖς ὕπνοις ἀποφυγοῦσα δόξας, καὶ νόμους, καὶ πορρωτάτω γενομένη τοῦ δεδιέναι, καὶ αἰδεῖσθαι, πᾶσαν ἐπιθυμίαν κινεῖ, καὶ ἐπανεγείρει τὸ κακόηθες, καὶ τὸ ἀκόλαστον. *Interdiu vitium foras prospiciens ad alios, iisq; se accommodans, pudore afficitur, & occultat affectum, neq; omnino impetibus suis concedit, sed repugnat sæpe ac renititur. In somnis autem legibus jam & aliorum judiciis non amplius obnoxium, remotumq; longißimè à verecundia & metu, omnem movet cupiditatem, malitiamq; suam & libidinem exsuscitat.* Luctam moralem à motibus internis provenientem

(i) l. de Legg. f. 573.

Plato (i) ita depingit: τὰ πάθη ἐν ἡμῖν οἷον νεῦρα ἢ μήρινθοί τινες ἐνοῦσαι, σπῶσί τε ἡμᾶς, καὶ ἀλλήλαις ἀνθέλκουσιν ἐναντίαι οὖσαι, ἐπ' ἐναντίας πράξεις, οὗ δὴ διωρισμένη ἀρετὴ καὶ κακία κεῖται. *affectus in nobis quasi nervi aut funes ingeniti trahunt nos invicem, retrahuntq; ad contrarias actiones, ubi virtus & vitium discreta versantur.*

(k) l. 12. de Trinit. c. 12.

Recte proinde *Augustinus* (k) ait: *Nec sane cum sola cogitatio ne mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum, & ideo de talibus quoq; cogitationibus venia petenda est, pectusq; percutiendum, atq; dicendum, dimitte nobis debita nostra.*

§. 14.

§. 14. Ex hoc itaque, quod Deo imperium in homines, seu jus illos regendi & gubernandi competit; *potestatem* habet *leges ferendi*, hominemq; ad obsequium sibi debitum obligandi, quæ usque eo ampla & plena est, ut lege lata, non solum ea quæ naturaliter sunt honesta, sed & quicquid in se non est malum moraliter, imperare, refractarium gravissimis pœnis coërcere, imo & extremo supplicio afficere queat. Exerit nimirum se per hoc vis imperii in caput subditi, ut potestatem in personam subjectam habeat; & eam ad quælibet justa sub pœna etiam mortis obligare possit, quæ si non obnoxia foret superioris imperio, nunquam ille in istius actiones potestatem aliquam sibi arrogare, mores ipsius disponere, suisq; constitutionibus & sanctionibus eandem sibi ligare, & ad suum arbitrium regere jure posset, maximè in rebus indifferentibus. Potest quoque Deus, si de absoluta ejus potentia loquimur, nunc pluribus legibus latis homines ad obsequium obligare; prout Israëlitarum Rempublicam non moralibus solum præceptis, sed & ceremonialibus & judicialibus constitutionibus sibi devincire voluit: Pluribus quoque abrogatis, pauciores præscribere jus habet. Denique non toti tantum generi humano leges ferre, sed & singulis hominibus singularia, & personalia quasi mandata dare potest, quale fuit

illud Abrahamo datum, de *offerendo filio unico.* (x)

(x) Genes. 22. 2.

§. 15. Quanquam autem tam amplũ & plenum in homines Divinum est imperiũ, *legesq; ferendi potestas*, nunquam tamen à Divina sapientia, bonitate, sanctitate & justitia illud est absolutum; sed exerit se secundum *Legem Dei æternam*, h. e. secundum illum conceptum Divinæ mentis practicum, juxta quem Deus suæ sanctitati, justitiæ, & bonitati convenienti quadam ratione, res à se conditas gubernare constituit. Quare nec præcipiet, nec ex naturæ perfectione, aberrare nesciæ, præcipere poterit contraria illis, quæ alias jure naturali sunt præcepta, ut nimirum creaturæ rationali mandet, ut Deum blasphemet, vel odio habeat, alium Deũ colat, hominemq; insontem injustè interficiat, &c. Cùm enim ea quæ jure naturali prohibentur, sint intrinsece mala, hoc ipso à Deo nullo modo præcipi posse certum est. Ἆρα γόητα τὸν Θεὸν οἴει εἶναι, καὶ οἷον ἐξ ἐπιβουλῆς φαντάζεσθαι ἄλλοτε ἐν ἄλλαις ἰδέαις; τοτὲ μὲν αὐτὸν γιγνόμενον, καὶ ἀλλάττοντα, τὸ αὑτοῦ εἶδος εἰς πολλὰς μορφὰς, τοτὲ δ' ἡμᾶς ἀπατῶντα, καὶ ποιοῦντα περὶ αὐτοῦ τοιαῦτα δοκεῖν; ἢ ἁπλοῦν τε εἶναι, καὶ πάντων ἥκιστα τῆς ἑαυτοῦ ἰδέας ἐκβαίνειν: *Num existimas præstigiatorem esse Deum, & tanquam ex insidiis alias alia sub specie apparere? & alias quidem in multas formas speciem suam mutantem, aliumq; effectum, alias autem nos decipientem, vanaq;*

nasq; de se nobis imagines offerentem? vel simplicem potius minimeq; omnium sua ex specie discedentem, quærit *Plato* (y) ex illis, qui Deum & bonorum & malorum causam esse garriunt, id quod & h. l. recte quæri potest. Cumque creatura rationalis, ceu agens morale, à Deo dependeat non tantum quoad esse naturæ suæ rationalis & socialis, sed & quoad hunc respectum, quod sit agens aliquod morale, & quod actiones ejus valore quodam morali gaudeant; & vero esse morale quod per se tale est, ceu verum, & non fictum quid per mentis operationem, æque immutabile sit, atque esse rei naturale, ceu infra docebitur, consequens est, quod quemadmodum esse hominis naturale mutationem nullam subire potest, ita quoque esse actionum ipsius morale, cum Divinæ sanctitati, quæ omnis honesti & boni naturaliter moralis ratio *quo ad nos* unica & immutabilis est, ceu regulæ suæ & exemplari, conforme esse debeat, ab omni mutabilitate abhorreat. Et cum homo Deo sit subjectus, Divinoq; ejus imperio non aliter, quà animal rationale obnoxius, cum bonitate & sapientia ipsius non congrueret potestas, si creaturam rationalem modo irrationali, & sic illius naturæ plane incongruo, sibi subjiceret.

(y) 2. de Rep. fol. 410. seq.

§. 16. Aliter quidem hæc disputantur à *Guilelm. Twiss.* (z) Anglo Britanno Professore,

(z) Animad. ad

 Samuel.

Samuel. Retorfort.(a) & Macovii discipulo Szydlovio (b) aliisque: Melius tamen his sentit Gisbertus Voëtius, (c) prolixe quam impia hæc sit sententia probans; qua non est religiosior illa dissentientium exceptio, quando in jure divino, & quid Deus homini imperare possit, explicando, illum actum qui in hominibus est peccatum, in Deo peccatum esse negant, *cum respectu primæ causæ nullum peccatum sit in mundo, nullaq; deformitas, sed tantum respectu creaturarum*, uti quidem *Retorfort.* (d) opinatur; quippe quæ, cum neminem habet in quem peccet, neminem quoque cui sit obnoxia agnoscit. Verum, quanquam supremus rerum Dominus, & moderator, nulla lege ab extra urgente teneatur, ipsius tamen sanctitas immutabilis, quæ ratio & norma est sanctitatis, cujus nos decet esse studiosos, ceu qui vult, *ut simus sancti, quemadmodum ipse sanctus est*, (e) instar legis est optimo ipsius & perfectissimo Numini, contra quam nihil committere potest. *Pure Plutarch.* (f) *de Deo sentire jubet*, ὡς πάντων ἡγεμών, ἀγαθῶν, πάντων δὲ πατὴρ καλῶν ἐκεῖνός ἐστι, καὶ φαῦλον οὐδὲν ποιεῖν αὐτῷ θέμις, ὥσπερ οὐδὲ πάσχειν, *nimirum hunc omnium esse bonorum principem, omnium pulchrarum rerum parentem, neq; fas eum aut agere, aut pati mali quicquam.* Ex perfectione itaque naturæ suæ summa, quam abnegare nescit Deus, non præcipit ea quæ Juri Naturali sunt contraria, à se, suaque

Collat. Arm. &c. p. 90. 101. seq.

(a) De Provid. c.19.28.seq.

(b) Vind. quæsti. diffic. c. 8.

(c) Disp. Select. P. I. p. 366. seqq.

(d) l. c. c.28.29.

(e) Levit. c. 11. 45. c. 19. 2.

(f) Quod sec. Ep. non suav. viv. T. 2. opp. f. 1102.

ſuaque ſapientia, & ſanctitate naturali & immutabili alias aberraturus, & ſibi ipſi difformis futurus, ſi ea imperaret, quæ ipſius bonitatis, ſanctitatis, & ſuper creaturas eminentiæ gloriam lædunt. Agnoverunt ſane ipſi Gentiles minui Divinam laudem, & ſanctitatem, ſi Deo talia tribuimus, quæ ipſum faciunt autorem impietatis ab hominibus patratæ. Ut *Platonem* taceam, *Saluſtius* Philoſophus (g) τὸ δὲ ἀδικίας τι, inquit, ϰ̀ ἀπελγείας ἐκ τῆς εἱμαρμένης διδόναι, ἡμᾶς μὲν ἀγαθοὺς, τοὺς δὲ Θεοὺς ποιεῖν ἐστὶ κακούς. *Injuſtitias, & per laſciviam, & petulantiam commiſſa ſcelera ad fatum referre, nos quidem probos, Deos vero nequam ac ſceleſtos efficit.* Rectè proinde *Maximus Tyrius* (h) ſcribit, αὐτοῦ τοῦ ἑλομένου μοχθείαν αἰτία, Θεὸς ἀναίτιος: *malitiam qui aſſumit, culpam ſibi adſcribat, Deum extra noxam relinquat.*

(g) de Diis & mund. c. 9. apud Grot. Opuſc. de Dogmat. Reip. nox.

(h) Diſſert. 25.

§. 17. Cæterum ſicut Divinum hoc imperium, & jubendi præcipiendive poteſtas, ſe ad *impoſſibilia* quæ talia ſunt *moraliter*, h. e. turpia, quæ ſalva honeſtate fieri non poſſunt, non extendit, ita quoque nec ad ea, quæ talia ſunt *phyſice*, & agentis vires divinitus acceptas ſuperant, noſtraque culpa talia non evaſere. Juri enim præcipiendi Divino reſpondet à parte hominis obligatio ad obſequium, quæ ad impoſſibilia, quando impotentia illa noſtra non eſt contracta culpa, non poteſt extendi. *Cauſa propter*

quæ cessat obligatio, sunt (ut Bonacinæ (i) verbis utar) *hæ : vis absoluta , impossibilitas &c. Neq; enim fingi potest*, inquit, etsi male hæc applicet Bellarminus, (k) *quomodo aliquis peccet in eo quod vitare non potest, quod si non peccat, qui legis transgressionem vitare non potest, profecto nec legem transgreditur, nec illam legem habet. Non enim fieri potest, ut legis transgressio non sit peccatum; cum nihil sit aliud peccatum, quam transgressio legis.* Cum bonitate quoque, sapientia, & justitia supremi legislatoris pugnat, creaturam, quæ quicquid habet ipsi refert acceptum, quæq; nisi viribus destitueretur, ipsius mandatis libenter obediret, obligare velle & adstringere ad id præstandū ejusmodi viribus, quas tamen eidem nec dedit, nec unquam dare voluit, quasq; eadem, ceu nunquam acceptas, sua etiam culpa non decoxit. Bonus enim legislator suavi attemperatione ad subditos suos, quos paterno affectu eum complecti decet, condescendere debet, ut virium ipsorum, quas sua culpa non detriverunt, habeat rationem. Tyrannorum est ferendo leges causam parare, & crimen quærere, ut punire possint, quemadmodum *Tiberius* (l) *puellas immaturas, quia more tradito nefas erat virgines strangulari, vitiatas prius à carnifice, dein strangulari jussit.* Ipse etiam *Socinus*, (m) quanquam alias in dominio Dei, ejusque asserendo jure modum excedat, *nihil tamen impossibile, Deum præcipere contendit, aut est iniquus*, nec in thesi male.

(i) tom. 2. opp. Th. Mor. f. 67. punct. ult.

(k) T. 4. Opp. de Iustif. l. 4. c. 13. p. m. 1209.

(l) Sueton. Tib. c. 61.

(m) l. quod Regni c. 5. Tom. 1. Biblioth. Vnitar.

Adver-

Adverſatur præterea Legislatoris ſupremi ſapientiæ, ejusmodi ferre leges, quas ſubditos ob denegatas, non vero depravatas & deperditas vires, etſi velint, obſervaturos nec eſſe, nec obſervare poſſe certum eſt. Etſi enim ad Dominii ſui eminentiam oſtentandam, illud legislatorem ſupremum facere quis crederet, cum tamen ea jus ſuum divinæ bonitati & juſtitiæ convenienti quadam ratione exerat, ſicut ſapientia Dei cum cæteris ejus amice conſpirat attributis, ita quoque eadem nil imperare homini ſuo Deum permittet, quod ipſius naturæ non ſit conveniens. (n) *Natura*, inquit *Seneca*, *Diis* (Deo) *cauſa eſt* Epiſtol. 95. *benefaciendi. Errat, ſi quis putat illos* (illum) *nocere velle, non poſſun:* (poteſt.) Argumentum imprudentiæ potius eſt in imperante, ſi ſuam eminentiam, ſubditis ſuis illudendo, vult notam facere, quod futurum eſt, ſi ad plenitudinem poteſtatis ſuæ demonſtrandam, illis præſcribit leges, quas ſervare & implere neſciunt. Tale deniq; dominium abſolutum ſanctitatis, æquitatis, & juſtitiæ gloriam Deo adimit. Quicunq; enim non peccantem pro peccatore habet, reumque facit culpæ, à qua tamen eſt immunis, quæque ei ceu moraliter inſonti jure imputari nullo poteſt, is inique agit, &, ſi non peccantem inſuper punire pergit, injuſte. Non enim poſſunt ejusmodi actus, qui legi ſimpliciter impoſſibilia præcipienti

contrariantur, pro peccatis haberi, tantum abest ut possint ceu moraliter mali puniri, cum quoad defectum suum sint citra agentis culpam necessarii *necessitate immutabilitatis*, careantque libertate ad bonum & malum indifferente, & ad omnem moralitatem necessaria.

(o) p. 174. §. 18. *Author de princip. Iusti & Decori* (o) concedit, *non posse quidem Legislatorem praecipere quid physice impossibile*, *posse tamen*, addit, *imperare obedientiam de iis, quae impossibilitatem moralem continent: quia voluntatis libertati nihil contrarium imperat, cum tota difficultas parendi ex ipsa voluntate oriatur.* Loco exempli mox subjicit: *Legis adimpletionem dicimus esse impossibilem, nec tamen illam impossibilitatem voluntatis libertatem ire imminutum.* Verum, quae sic dicuntur *impossibilia moraliter*, in se talia non sunt, sed extrinsece dicuntur ita, ob defectum voluntatis, quae adesse debet, & sine qua aliquid fieri non potest, qua etiã posita omnia plana sunt, quare mirum non est. talia sub praeceptum cadere posse. Praescribat imperans subditis suis leges observatu faciles, si illi ex praefracta nolint illas observare contumacia, impossibile erit illas impleri, id quod tamen in se praestitu est facile, & jure quoque urgetur. Ast quod Divinae legis impletionem attinet, illa non tantum impossibilis est ob defectum voluntatis, sed ut alibi docetur, ob naturae

nostrae

nostræ morbum originalem, viriumque infirmitatem, quæ etiam posita voluntate, ejusque Legem observandi alacritate, facit *ut malum quod nolumus agamus.* (p) *Iansenius Yprensis* (q) eandem, etsi non sub his terminis, impossibilitatis distinctionem tradit, & de hac posteriore ita loquitur: *Altera impotentia est, quæ ex defectu ipsius voluntatis seu volitionis oritur, qua si adesset, quanta adesse debet, præceptum facillime impleretur. Hæc impotentia non faciendi, nullo modo excusat eum qui non implet quod præcipitur, posset enim implere, si vellet. Quod si noluerit, atq; adeo non potuerit, quis non eum dixerit, pro ipsa tam perversa, obduratag; voluntate culpandum?* Alias si *moraliter impossibilia* illa dicuntur, quæ per morum honestatem fieri non possunt, certum est, quod, sicut in se sunt turpia, ita quoque Deus illa non possit imperare.

(p) Rom. 7. v. 14. 18. 23.

(q) de Grat. Christ. Salv. l. 3. c. 15.

§. 19. Verum quanquam negemus Deum impossibilia præcipere posse, quæ scilicet absq; culpa ejus, à quo exiguntur, talia sunt, diversa tamen est ratio, quando quis sua culpa vires præstandi detrivit aut perdidit. *Hic enim, ut recte scribit Dn. Pufendorfius* (r) *eodem modo tractari potest, atq; si vires adhuc obtineret, cum alias facilis esset via, quamvis obligationem paulo laboriosiorem eludendi, ultro corruptis præstandi viribus.* Unde quanquam Deus per bonitatem & sapientiam suam absoluto suo, quo in hominem gaudet imperio,

(r) de Offic. p. 16. l. 1. c. 2. §. 23.

rio, huic non sic illudere possit, nec etiam velit, ut postulet à misero & fatiscente observationem præceptorum, quæ ipsius agendi vires, sanctè ab eodem custoditas & retentas, exsuperant; non tamen injustum est, si exigat impossibilia ab illis, qui sua culpa in præstandi ἀδυναμίαν inciderunt. Juste enim requirit id, quod ut possent illis ab eo datum fuerat; nec suo jure, ob hominum seu negligentiam seu malitiam, excidit. Quod adeo verum est, ut ne quidem ad novas vires illis reddendas, si obedientiam legibus suis debitã postulare ab iisdem pergat, teneatur, tantum abest ut, quemadmodum *Arminius* censet, (s) *alioquin aut obsequium illud nullo jure postulari queat ab hominibus, aut transgressores hujus legis nullo jure punire possit*: vel ut cum *Bailio* (t) contra Deum sic insurgamus: *Si Deus det nobis mandata impossibilia, ubi sapientia ejus? Si nos detrudat in infernum ob eadem violata, ubi æquitas & justitia? Si nos onerat gravi onere, sub cujus pondere fatiscimus, ubi ejus paterna misericordia?* Aut ut cum *Bellarmin.* (u) Deum in jus quasi vocaturi, illum, *si lex ipsius sit impossibilis, omni tyranno crudeliorem vocemus, quippe qui ab ipsis etiam amicis, tributum exigeret, quod nemo solvere posset, & leges ferret, quas sciret à nemine observandas.*

(s) Resp. ad Artic. fals. sibi impos. a. 19.

(t) Catech. Contiov. Tr. 4. q. 5.

(u) c. 4. de Iustif. l. 4. 13

§. 20. Quis enim Deum inique agere dicet, si homini vires ipsius voluntate deperditas, denuo restaurare denegaverit, qui ne

prio-

priores quidem ullo jure nobis debuit, ceu quas gratis homini concessit; imo summa potius est iniquitas & rebellio, à Deo postulare, ut vires legibus Divinis obediendi necessarias, illi qui voluntaria malitia eas amisit restituat, quasi sc. Deus libidini & malitiæ hominis ita inservire teneretur, huic autem bona à Deo accepta pro lubitu, vel conservare, vel deperdere liceret. Neque periclitatur gloria Divinæ sapientiæ, si urget obedientiam legibus debitam, quæ cum prius præstitu esset possibilis, ipsius à quo exigitur culpa facta est impossibilis. Quanquam enim leges suas à nemine observatum iri, vel observari posse videat, sapienter tamen eas urget, non quidem ut illos, qui lege ista tenentur, admoneat quid possint, sed quid debeant, etsi illud præstare nesciant. *Data est*, inquit B. *Augustinus*, (x) *lex superbis hominibus, & viribus suis totũ tribuentibus, ut cum implere non possent legem datam, prævaricatores invenirentur, & facti rei sub lege, misericordiam peterent à Deo conditore.* Sapientissimè ergo, & optime Deus impossibilia apud homines urgere potest, ut superbos sc. de se, suisque viribus, sibi plus justo promittentes confundat, eosque ad agnitionem suæ infirmitatis, & humilitatis exercitium, excitet. Non etiam justitiæ & æquitati ipsius adversatur, quando petit id quod sibi jure debetur: Sicut enim voluntaria hominum malitia

(x) de act. cum Fœlic. Manich. 2. 11.

malitja, qua deperditis agendi viribus inepti redduntur ad imperata facienda, Deo in fraudi esse nequit, ut ipse jure suo in immorigeros excidat; ita cum illi jus suum manet integrum, justa semper est exactio observationis legis ab illis præstandæ, qui sua culpa sub ejus onere fatiscentes, ejus pondere obruti manent. Nec ita crude asserendum est, decedere hoc facto aliquid gloriæ ipsius misericordiæ, cum enim alia ratione satis gloriose illa se patefacere possit, utique ei nihil decedit, etsi jure suo rigoroso, justo tamen, usurus Deus sub jugo & onere, quod sibi rebelles supremo rerum moderatore invito imposuerunt, fatiscentes & gementes relinquat, sicut etiam B. visum fuit *Augustino* (y)

(y) Enchir. ad Laur. c. 99.

§. 21. Imperium hoc Dei in homines summum & absolutum, complectitur quoque *Jus vitæ & necis*, quod adeo severe nonnunquam, etsi juste, supremus judex exequitur, ut ob violatam legem naturæ, ipsius jussu toti populi fuerint deleti, ceu ex Hebræorum historia de populis Cananæis à Josua Duce excisis constat. Cujus transgressionis cum infantes occisi, honesti & inhonesti discrimina ignorantes, rei non fuerint, an, vel quomodo in illos peccata & peccatorũ pœnæ cadant; an insonti jure delicta aliena imputare Deus possit, quæri potest? Jure Deus, ut Rector orbis, homines in legem naturæ im-

impingentes punit: Quanquam enim alias neminem in sua causa idoneum judicem esse posse contendant, recte tamen monetur à *Grotio*, (z) *Regulam hanc non esse Iuris Naturalis, sed positivi, ideoq; nec universalem*, ceu quæ in summis rectoribus locum non habet, nec etiam in rectoribus minorum societatum, nec denique ad Deum applicari potest, cum non puniat qua læsus, etsi sit læsus, sed qua supremus Judex, seu Justitiæ assertor. Hunc etsi religiosissimus Hebræorum *Abraham* (a) merito sic compellaverit: *absit tibi, ut facies tale quippiam, morti tradendo justum cum injusto, ut ita sit justo sicut injusto; absit Tibi, an judex orbis non exerceret judicium?* de quo & gentilium Sophus *Seneca* (b) *natura*, inquit, *mitis Deo & placida est, tam longe remota ab aliena injuria, quam à sua*; de extremo tamen animæ cum corpore interitu Patriarcham loqui, observarunt interpretes, cum ipse Deus alias minetur, (b) se in excidio Hierosolymorum *æque justum atq; injustum occisurum esse.* Bene quidem *Plutarch.* (c) ait, τὸ τὰ θεῖα καὶ δαιμόνια πράγματα διασκοπεῖν ἀνθρώπους ὄντας, *Res Deorum, & geniorum, velle perspicere eos qui sunt homines, gravius esse, quam de rebus Musicis imperitum Musices, aut de bellicis militiæ rudem verba facere*: quando tamen an, & quo jure aliena delicta aliis imputari queant, aut ut pœnam reis debitam sustineant, quæritur, disquirit quidem *Plut.* (d) *quomodo in liberis peccata parentum*

(z) de satisfact. Christi c. 2.

(a) Genes. 18. 25.

(b) 2. de Ira c. 27.

(b) Ezech. 21. 3.

(c) de Sera Num. vindic. tom. 2. f. 549.

(d) l. c. f. 558.

rentum puniantur: Mos item Persarum, Macedonum, Græcorum & aliorum populorum, quo ob unius noxam toti etiam pereundum erat cognationi, ab aliis adducitur; quem licet non probem, ex hinc tamen cognoscitur gentes istas *Iuri vitæ & necis*, quo imperans gaudet, connexum esse jus in delinquentis proximos, propinquos, ob criminis atrocitatem animadvertendi, judicasse; nec injustum quoque esse, si insonti aliena delicta, ad atrocitatem illorum ostendendam, imputentur. Ex quo etiam, licet infirmo principio, *Naturalistæ Arminiani*, Deum Adami peccatum posteris ipsius imputasse ex sola voluntate, contendunt, quatenus sc. uti *Remonstrantes* (e) loquuntur, *eos eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium se reddiderat, obnoxios nasci voluit.* Ita namq; *Episcopius* (f); *Deus*, inquit, *peccatum istud primũ Adami tam enorme esse judicavit, ut qui ex Adamo peccatore nati peccaturi erant, eos, licet non tam enormes peccatores, uti Adam parens eorum fuerat, solius istius enormis peccati respectu; morti subjacere voluerit.* Et posse Deum, absoluta sc. *sua potentia*, ut *Corvino* (g) videtur, *eum qui peccator non est, sed innocens & extra culpam, tractare, ac si esset peccator gravissimus*, (h) Verum enimvero non nisi summa est iniquitas, innocentem pro reo habere illius criminis, à quo omni modo est, & cupit esse immunis, & invito alienam

(e) Apolog. c. 7. tom. 2. opp. Episc. P. II. f. 151.

(f) Inst. Theol. f. 404.

(g) Contra Tilen. p. 231.

(h) Episcop. t. 1. Opp. f. 404.

im-

imputare culpam, cum qua neque physicè, neque moraliter, ei aliquid intercedit commercii. Suam enim, non alienam, quilibet tenetur luere culpam, nec insonti aliena peccata, ob quæ puniatur, ullo jure imputari possunt, nisi ipse ea sibi imputari velit, easque in se derivandi, & pro illis meritas pœnas voluntariè luendi jus habeat; alterque vicissim, qui læsus est, illam substitutionem insontis pro sonte, ejusque satisfactionem acceptet. Audi *Homerum* (*i*):

(*i*) Odyss. l. 13. p. m. 383.

Ζεὺς σφέας τίσαιτο ἱκετήσιος, ὅς τε ϗ ἄλλους
ἀνθρώπους ἐφορᾷ ϗ τίνυται ὅστις ἁμάρτῃ.

Iupiter ipsos ulciscatur deprecabilis, qui & alios
Homines inspicit, & plectit, quicunque peccant.

Ipse sane Deus (*k*) *Mosi*, qui pro fratribus Israëlitis deleri cupiebat, *eum delebo*, respondit, *qui mihi peccaverit*.

(*k*) Exod. 32. 33.

§. 22. Quanquam vero hæc ita se habeant, contingit tamen, & contingere potest, ut *culpa unius transeat ad alterum*, ita ut unus ob peccata alterius puniatur, cujus rei non una potest dari ratio; nunquam tamen infligitur justè, nec infligi justè potest pœna, sine respectu ad peccatum, sæpè licet non omnibus cognitum, à quo ne infantes quidem, in quos actualis honestorum & turpium notitia non cadit, immanes sunt, ob *peccatum originis*, quod nunquam quiescit, quod in infantes transfusum, eo vehementius ebullire, suamque

amque vim exerere incipit, quo ferocior fuit parentum natura. Sane *Caligula*, ut eſt
(*l*) apud *Sueton.* (*l*) infantem filiam ſuam Jul.
in vit. Cal. c. 25. Druſillam, *non ullo firmiore indicio ſui ſeminis eſſe credebat, quam feritatis; quæ illi quoq; tanta jam tunc erat, ut infeſtis digitis, ora & oculos ſimul ludentium inceſſeret.* Unde non dicendum eſt, Deum talem immittere pœnam ex jure dominii abſoluti, ceu qui ſemper puniendo agit ex vi juſtitiæ, tanquã ſupremus in orbe
(*m*) judex. Τῷ Θεῷ ἕπεται inquit *Plutarch.* (*m*), δίκη
T. 2. opp. de Exſul. f. 601 τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρὸς, ᾗ χρώμεθα πάντες ἄνθρωποι φύσει πρὸς πάντας ἀνθρώπους ὥσπερ πολίτας, *Deum comitatur juſtitia, ultrix eorum, qui Divinam legem deſeruerunt, qua omnes homines natura utimur, adverſus omnes homines, ut cives.* Jus tamen dominii divini ratio & fundamentum eſſe poteſt, quare juſtitia Dei hoc aut illo modo vindictam exigere queat; dominus enim vitæ alterius qui non eſt, ſupplicio extremo eundem afficere non poteſt.

§. 23. Cæterum accidit non uno mo-
(*n*) do, ut aliena delicta ad nos pertinere inci-
l. 2. de Iur. B. & P. c. 21. §. 1. & ſeqq. piant, ceu *Grotius* docet, (*n*) ob *unionem* ſcil: aliquam, & conjunctionem, quæ inter nos & delinquentes intercedit. Id quando fit, delictum deſinit eſſe plane alienum. Contingit autem ut veniat quis in partem delicti alieni, quando ſc. ſic ſe circa illud gerit, ut jure ei imputari poſſit, cum nimirũ iubendo, conſentiendo, receptum præſtando, imitando,

tando, aliaque ratione morali, criminis fit particeps; vel quando *fidejussor*, cui aliena delicta in se derivandi jus est, sua sponte sibi ea imputari, & pro illis libera voluntate satisfacere cupit: Quæ translatio criminis & supplicii in alium, etsi in foro humano locum non inveniat, quin tamen à Deo fieri possit, cum justitiæ ipsius nihil derogetur hoc pacto, dubium non est. *Iudex*, inquit *Lactant.* (o) *peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ, Deus autem potest, quia suæ Legis ipse disceptator, & judex.* Transfunditur etiam per *generationis* actum in infantes malitia parentum non solum *naturalis*, quam, cum à vitio *materiæ* ignorantia gentilis eandem olim deduxerit, Christiana sapientia à labe originali recte provenire docet, sed & *personalis* parentum ferocia in liberis infantibus non raro se exerit, ut Drusillæ exemplo patet. Unde *Salvi n.* (p) *infantes omnes fere parvulos contumaces esse* ait, *quos morigeros minæ ac ferulæ non efficiunt. Interdum παρχρησαι atq; blanditiæ ad obedientiam trahunt.* Ob quam vero malitiam, licet non criminis rei habeantur in foro humano, coram Deo tamen *innocentia personæ* innocentes non sunt, qui suos homines ab omni labe sanctos esse cupit.

(o) de Ira c. 19.

(p) de Gubern. Dei p. 236.

§. 23. An vero, ut rursus (q) *Episcopius* censet, ille, qui alias peccator est & mortis reus, possit à Deo cum alio peccatore & legis

(q) l. c.

 trans-

transgressore, ipsius, & sic alieni peccati intuitu, eodem loco haberi, eademque pœna mortis affligi, quæ huic infligitur, etsi iste ad similitudinem hujus contra expressam legem non peccaverit, cui etiam illa lex, contra quam alter peccavit, nec lata, nec per legem talis pœna mortis in eum statuta fuit, *Episcopio* affirmante, nos negamus. Quanquam enim, *non par factum* tantum, ut *Tertullianus* loquitur, (r) *par habeat meritum*, sed & puniri aliquis ob sua peccata, *occasione* peccati alieni jure possit, prout nimirum judici visum fuerit, imo & diversorum delictorum rei eadem quoad speciem pœna affici queant, ille alter tamen, non potest propterea per *puram imputationem* reus constitui eius criminis, cujus pœnas alter iste, qui reus est, solvit. Quilibet enim suam portet iniquitatem, nec ea insonti invito imputetur: sitque hujus quoq; peccatum dignum morte, non tamen propter alterius delictum, ceu *causam meritoriam*, ea ipsi est infligenda, qui enim legem aliquam transgressus non est, ille quoque ob illius transgressionem non potest puniri, & licet sit reus alterius legis violatæ, tantum tamen qua hujus, non qua illius læsæ reus est, ceu quæ illi lata non fuit, est puniendus. Bene sanciunt Imperatores Christiani, *Arcadius* & *Honor.* (s) *ibi esse pœnam, ubi & noxa est.* & rursus: *peccata suos teneant Autores, nec ulterius progredia-*

(r) de Patient. c. 13.

(s) Cod. 9. de pœn. 22.

stitia

tur metus, quam reperiatur delictum. Cujus ju-stitiæ ratio ut est perpetua, ita quin in Deo quoque reperiatur, negari non debet.

§. 24. Quanquam verò hæc sic se habeant, dubium tamen non est, quin Deus ceu supremus, ut cæterorum bonorum, ita quoque vitæ Dominus, ex dictamine suæ sapientiæ nobis incomprehensibilis, pro absoluto suo dominio multa facere possit, quæ ordinate acturus non facit. Nititur autem hoc Jus divini dominii in hominem beneficiis istis *perpetuis & gratuitis*, uti *à Seneca* (t) deprædicantur, quæ larga manu Deus in eundem contulit, de quibus *Salvianus* (u) *primum*, inquit, *ut de beneficiis generalibus dicam, id est, quod quisquis vel Sanctorum es ille, vel divitum, primum benevolentia, ac dono Dei & natus, & altus, & educatus es: quod rebus ad vitam necessariis communitus, quod etiam non necessariis locupletatus, quod plus ad usum tibi Dominus tuus tribuit, quam modus usuum postulavit: quod extendit deniq; super spes tuas munera sua, & quod est maximum ac rarissimum, dona illius etiam tua vota vicerunt.* Hoc ipso verò, quia homo omne id quod est, à Deo est, Juris divini est, Deoque subjectus vivit. Certum autem est, Deum, nisi sibi ipsi eundem adversari, & oppositis attributis instructum esse fingere velimus, hoc suo in creaturas dominio sic uti, nec aliter illud exercere posse, quam prout ipsius bonitati est conveniens, ut proinde etiam, ceu absolutus

(t) 4. de benef. c. 3. 25.

(u) l. 2. contr. Avarit. p. m. 49.

F 2 Domi-

Dominus nil agere velit, & possit, quod cum eadem consistere nesciat; nullumque immittere malum, quod beneficia in creaturam collata ita superet, ut melius fuisset creaturæ nunquam fuisse, vel nulla plane accepisse à Deo beneficia. Quæ enim, & qualis esset ista Dei bonitas, si conferret beneficiũ, ut malũ, quod bonũ concessũ longe excederet, infligere posset? Dominium itaque ut justum sit, necessum est, ut nitatur beneficiis indebitis, & vim obligandi habentibus, quæ majora sint, quam sit, vel possit esse malum, quod infertur rei; in quam ob collata illa beneficia, aliquis se jus habere contendit. Ex quo constat, quid de *Amyraldi*, aliorumque rigore habendum sit, qui Deum absoluto suo jure innocentem creaturam ad æternos cruciatus infernales abjicere, & destinare posse contendunt. Ipsa certe natura Deum nobis aliter proponit. *Quædam sunt*, inquit *Seneca*, *(x) quæ nocere non possunt, nullamq; vim, nisi beneficam & salutarem habent: ut Dij immortales*, (Deus) *qui nec volunt* (vult) *obesse, nec possunt* (potest.)

(x) 2. de Ira c. 27.

§. 25. Posset equidem de dominio Dei in hominem, prout supremo ejus muneri judiciali contradistinguitur, ulterius quæri, & quomodo illi, qui sunt à culpa aliqua imunes, sic à Deo affligi queant considerari, ut una sentiant afflictionem impiorum, & sic examinari ea, quæ partim ex ratione Socinia-

cinianus *Crellius* (y) contra *Grotium* disputat, partim etiam Arminianus *Episcopius* (z) disquirit; sed aliena hæc sunt à nostro instituto, neç eidē multū inserviunt, possuntq; secundū ea, quæ hactenus dicta sunt, pro præsenti necessitate dijudicari: illa potius nos morabitur consideratio, *quomodo* nimirū *sensus*, & *vis Divini in hominem Imperij, se in eodem exerat*, nobisq; suū quod in nos habet jus, & imperium, Deus indicet. Non enim se supremus rerum moderator, & orbis dominus, ἀμάρτυρον reliquit, sed sicut animæ nostræ innatum, & ut *Cicero* loquitur, (a) *in animo quasi insculptum est, esse Deos*; itaq; quoq, mentibus hominum *naturalem sui*, ceu superioris, & ab omnibus pietate & obsequio colendi, *metum* impressit, ut divinum in se imperium agnoscerent, seque supremo rerum arbitro obedientiam debere homo sentiret, secundum illud *Virgilij*: (b)

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At sperate Deos memores fandi atq; nefandi.

Ut nunquam non cogitemus vindicem mali atque scelerum justissimum, qui homines rebelles, imperiique sui irrisores, gravissimis ad officium redigendi pœnis & vires & jus habet. Quod nisi foret, si Dei in homines non esset imperium, præcipiendi, puniendiq; jus, non raro illi se excruciaret timore, nec, idq; sæpe non sine superstitione, metuerent eum, à quo tamen nihil mali jure ex-

(y) in Resp. de Satisfactione Christi, ad c. 4. t III. Opp.

(z) Instit. Theol. l. 4. sect. c. 6.

(a) l. 2. de Nat. Deor. P. 28.

(b) 1. Aeneid.

 pectare

pectare deberent. τὸ γὰρ φοβερὸν τοῖς οὖσιν ἐστί. τοῖς δ' οὐκ οὖσιν πῶς ἂν εἴη, *existentium enim rerum est metus: quæ non sunt autem, nemo est qui pertimescat*, ait *Plato*. (c) Divinum ergo cum per naturam veneremur imperium, *per naturam* quoque illud nobis innotescere, manifestum est.

(c) Axioch. l. 731.

§. 26. Est verò metus ille naturalis, qui Divinum nobis imperium in mentem revocat, alius *bonorum*, alius *malorum*. *Qui Deum timent*, inquit *Plutarch*. (d) ὥσπερ ἄρχοντα χρηστοῖς ἤπιον, ἀπεχθῆ δὲ φαύλοις, *ut principem bonis benignum, malis infestum, uno illo metu liberati à studio peccandi, neq; multis opus habentes liberatoribus, cum malitia apud ipsos paulatim contabescat*, ἧττον ταράττονται τῶν χρωμένων κακίᾳ καὶ τολμώντων, εἶτα εὐθὺς δεδιότων καὶ μεταμελομένων, *minus consternantur, quam qui indulgent vitiis audentq; scelera, ac statim deinde metu ac pœnitentia corripiuntur.* Illorum nimirum metus à sceleribus revocat, Deum menti præsentem sistit, ceu justum judicem unicuique suum tribuentem, uti continentissimi Ebræorum Josephi exemplo patet, conjunctusque est cum amore supremi Numinis, & bona spe. Consequitur hunc metum in moratioribus, qui non omnem humanitatis sensum penitus exuerunt, horror ante factum, ita ut scelus aliquod à se committendum cogitantes cohorrescant, & ex numinis metu à malo abstineant. Qui & fons insuper est,

(d) Tom. 2. Non posse suaviter vivi sec. Ep. p. 1101.

è quo

è quo etiam obſequium, quod Deaſtris ſuis ſe debere gentiles crediderunt, promanavit juxta illud *Velleji* Epicurei apud *Ciceron.* (e) *Impoſuiſtis in cervicibus noſtris ſempiternum Dominum, quem dies & noctes timeremus. Quis enim non timeat, omnia providentem, & cogitantem, animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere cogitantem, curioſum & plenum negotij Deum.* Metu Numinis ea quæ nos gerimus audientis & videntis, à ſceleribus ita dehortatur *Ovidius*: (f)

(e) 1. de Nat: Deor. P. 12.

Expedit eſſe Deos, & ut expedit eſſe putemus:
Dentur in antiquos, thura merumq; focos.
Nec ſecura quies illos ſimilisq; ſopori
Detinet: innocui vivite, numen adeſt.

(f) l.1. de arte Amandi.

Unde & *Theodoret*: (g) τὰς θείας δείσωμεν, inquit, ἀπειλὰς, καὶ ἀξίως περιπατήσωμεν τῆς κλήσεως, ἧς ἐκλήθημεν, ἵνα τῶν ἀπειλῶν τὴν πεῖραν ἐκφύγωμεν, *divinas metuamus comminationes, vitamq; dignam vivamus vocatione, qua vocati ſumus, & comminatum periculum effugiamus.* De hoc Numinis divini timore merito dici poteſt, quod de legum timore olim Johanni ſuo ſcripſit Cyrenes Epiſcopus *Syneſius*, (h) quod ſc. ſit ἀφοβία μεγίστη τὸ φοβεῖσθαι τοὺς νόμους, *timoris vacuitas maxima legum timor*: nimirum, & hanc eſſe timoris maximam vacuitatem, Deum timere, juxta ea quæ à *Paulo* docentur. (h)

(g) Opp t. 2. in Ierem. c.36. v.32. f.238.

(h) Epiſt. 2. f. 169.

§. 27. Aliter ſe habet metus ſceleratorum; quanquam enim hi ex inſita ferocia, qua ſuæ

(h) Rom.8.15.

libidini obsequentes, Deum hominesque contumaciter rident, sine sensu & metu Numinis in scelera ruant, ubi tamen velut è somno alto expergefactus homo ad se redit, sceleris conscientia temulentum alloquente, accusante, & damnante, trepidare, pallere, judicemque supremum timere incipit, (i) Epist. 97. *à quo metu liberari non potest*, judicio *Senecæ*, (i) etsi eundem *fortuna liberet pœna*, sed perpetuis vexatus angoribus, & à conscientia sua accusatus, se morte dignum esse novit. Caligulæ cœlo minantis, & cum Jove simultates alentis, deosque contemnentis, *ad minima autem tonitrua, & fulgura conniventis, caput obvolventis, ad majora autem sub lectum se condentis*, cum summa timiditate conjunctam, ferociam adducerem, nisi ipse *Suetonius* (k) (k) in Vit. c.15. *mentis valetudini*, quæ à comitiali ipsius morbo fortè exorta fuerat, *summam hanc confidentiam, & contra nimium metum, attribueret.* De Theodorico sane OstroGothorum Rege, (l) An. 526. n. 5. notante *Spondano*, (l) constat, quod cum paulo post, quam Symachum & Boethium trucidari jussisset, piscis caput apponeretur, illud tanquam Symmachi, torvo vultu exitium sibi minitantis, exhorruerit. *Tantum* sc. (m) Epistol. 105. ut *Seneca* loquitur, (m) *scelerati metuunt, quantum nocent: nec ullo tempore vacant, trepidant enim cum fecerunt, hærent, conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respicere ad se cogit.* *Etenim* ut de *sera Numinis vindicta* dispu-

disputans Plutarch. (n) ἰταμότης ἐκείνη, inquit, καὶ τὸ θερμὸν τῆς κακίας, ἄχρι τῶν ἀδικημάτων ἰσχυρόν ἐστι καὶ πρόχειρον, εἶτα τοῦ πάθους ὥσπερ πνεύματος ὑπολείποντος, ἀσθενὲς καὶ ταπεινὸν ὑποπίπτει τοῖς φόβοις καὶ ταῖς δεισιδαιμονίαις: *protervitas illa, & ferocia pravitatis, usq; ad perpetrandum facinus vim suam perfert & exstat: deinde motu animi tanquam vento sensim deficiente, imbecilla & humilis reddita, terroribus se & superstitionibus submittit.* Eadem tradit *Chrysostomus*: (o) *ea,* inquiens, *peccati est natura, ut priusquam perpetratum sit, hominem temulentia afficiat, postea quam autem expletum & perfectum est, tunc ea voluptas sese porripiat & extinguatur, ac solus jam deinceps stet accusator, nimirum conscientia carnificis locum obtinente, ac peccatorem lancinante, ab eoq; extremas pœnas exigente, ac plumbo quovis gravius ipsi incumbente.*

(n) f. 554.

(o) t. 5. opp. Epist. 7. ad Olymp.

§. 28. Metus hic est *tacitus* ille *obligationis sensus* in nobis, quæ divino in hominem respondet imperio, & subinde nos instigat ad cultum & obedientiam Deo, ceu supremo rerum moderatori exhibendam, per conscientiæ dictamen, hoc faciendum, illud omittendum esse, dictitantis; quemadmodum & principis, ejusque potestatis cognitio, illis, in quos ei imperium competit, reverentiam quandam, obligationem, & metum erga eundem in mentem revocat. Conjunguntur enim divinum Numen & homo per conscientiam, in qua se divinum in

in hominem imperium, cum per notitiam congenitam honestorum ac turpium, tum per metus cujusdam sensum exerit; hic se homines auctoritate quadam, humana superiore, obligatos sentiunt; hic se ad normam superioris cujusdam vivendum teneri convincuntur. Per naturam nimirum novimus, dari Ens aliquod supremum, à quo ut omnia, ita quoque ipsa dependet natura humana, quod proinde ut supremum numen mentis interiore inclinatione, & vita exteriore colendum est. Cumque ratiocinando colligamus aliquod discrimen honestorum & turpium, communesque illas vivendi regulas, & notiones, Deus nobis inscripserit, *consequens est*, ut *Robert. Sharrock.* (p) loquitur, *ut voluisse Deus censeatur illud fieri, quod ex iis mediis intenderat, noluisse contrarium: eosq; qui creatis, institutis, & gratis concessis, ad præstitutum finem, mediis uti nolunt, ea nolle, quæ Deus voluit, adeoq; summo Numini contraniti, & se opponere.* In conscientia, & per conscientiam hominem Deus alloquitur, eumque sui admonet officii, cujus dictamine neglecto, nisi homines se contra Deum peccare cognovissent, de Numine ipsius placando non ita fuissent soliciti, nec ex prodigiis, & ostentis, ab ejusdem ira sibi timuissent, nec de reconciliando Deo cogitassent, sicut Romanos, aliosque populos, id fecisse constat. Tacita quædam vis interna

(p) de Offic. secund. Ius N. p. m. 620.

terna

terna mentem mortalium urget, & delinquentibus superioris offensam denunciat. Vim hanc credunt, judice *Cicerone*, (q) *ad recte facta vocare, & à peccatis avocare, & non modo seniorem esse, quam ætas est Populorum & civitatum, sed æqualem illius, cœlum atq; terras tuentis, & regentis Dei.* Ita Deus se non expertem testimonii de suo in homines Imperio reliquit, ut redderet eos, ob sui, imperiiq; sui neglectum, inexcusabiles. Quanquã verò ejusmodi timor in homines etiam superstitiosos & idololatras ceciderit, non tamen eos metus hic, nisi sub opinione alicuius Numinis, perturbavit, à cuius peccato læsi, & irati, vindicta sibi metuerunt, ut proinde, quanquam illos umbræ terruerint, non tamen hæ larvæ, sed divinitatis persuasio, quam per errorem istis tribuerant, metum & obligationis sensum in deceptis excitaverit. Peccant superstitiosi in excessu, ei quod Deus non est, divinitatis opinionem tribuentes, sicut Athei in defectu. ἄθεος inquit, *Clem. Alex.* (r) ὁ μὴ νομίζων εἶναι Θεὸν, δεισιδαίμων δὲ, ὁ δεδιὼς τὰ δαιμόνια, ὁ πάντα θεάζων. *Atheus est non existimans esse Deum, superstitiosus autem, qui timet dæmonia, qui omnia refert in Deorum numerum.* Eadem legas apud *Plutarch. Andronicum Rhod.* aliosque.

(q) 2. de Legg. p. 171.

(r) l. 7. Strom. f. 700.

§. 29. Negant vero nonnulli hanc *obligationem, quæ ex divino imperio oritur*, recte obligationem appellari; quia ut *Franciscus*

Connan.

(s) Jur. civ. l. 2. c. 3.

Connan. loquitur, (s) *tum demum est vere hujusmodi, cum necessaria est, & in invitum satis habet firmitudinis*; qua illam destitui negat, cum careat civili coërcitione. *Fernandus Vasquius* quoque (t) *obligationem Naturalem*, quæ ex Jure gentium primævo descendit, in invitum non suam vim exerere contendit, *longe commodius & aptius dicere esse*, existimans, *unicam esse obligationem quæ ex consensu nostro oritur, & proinde sub primordium mundi, quando nec erant principes, nec judices aut Magistratus, nec Leges scriptæ, jus naturæ omnium compulsione caruisse*. Sed cum uterq; suum jam censorem accuratũ expertus sit, ille doctissimũ *Seldenum*, (u) hic B. nostrum *Bœclerum*, (x) prolixius hæc non discutiemus. Confundi interim, quando de divini imperii, & legum naturalium obligatione quæritur, non debet tribunal divinum cum humano, Lex itidem divina cum civili, & ratio vindicativa & coactiva, qua Deus utitur, cum coërcitione & coactione, quam potestas civilis exercere solet, pro sui fori ratione. Quanquam enim omnem potestatem civilem, quæ vicaria est Dei his in terris, deceat Juris Naturalis obligationem suo quoque inculcare imperio mortalibus, & in reos læsi hujus juris ex officii ratione severe animadvertere, cum legis naturalis transgressor, licet non peccet contra magistratum, ut est Legislator, obnoxius tamen redditur ejus judicio, quatenus

(t) Controv. Illustr. l. 1. c. 10. n. 18. seq. p. m. 120

(u) de l. N. & G. p. m. 50.

(x) Comm. ad Grot. p. 154.

nus is est custos utriusq; tabulæ Decalogi; non ex hoc tamen conciliatur divino in hominem imperio sua apud homines obligatio, qua jam ante Deo sunt devincti: sed vindicatur saltem divina Autoritas, admonenturque sui officii homines; ut obligationis suæ memores, vel sponte sua id quod debent præstent, vel si contemnere eandem pergant, metu pœnæ civilis ad illam agnoscendam cogantur. Alias ipse Deus, quanquam ex ineffabili sua bonitate tardus sit ad pœnam, & ea quæ geruntur nescire, vel impedire non posse, aut nolle videatur, cum parentibus similis sit; ut *Metellus* dicebat olim apud *A Gellium*. (*y*) *Dii*, inquiens, *immortales plurimum possunt, sed non plus velle nobis debent, quam parentes, at parentes, si pergimus errare, suis bonis nos exheredant*. sc. non semper hi, uti possunt, puniunt, sed sæpe indulgentes sunt, ac si sine imperio forent. *Consuesse Deos*, respondit olim *Cæsar* (*z*) Legatis Helvetiorum, *quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere illorum ulcisci velint, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere*. Quæ pluribus prosequitur *Plutarch*. peculiari commentario περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ Θείου βραδέως τιμωρουμένων, *de his qui serò à Numine puniuntur*. Nam

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

(*y*) Noct. Attic. l. 1. c. 6.

(*z*) de Bell. Gallic. 1. 14.

canit

(a) 2. Trist. canit *Ovidius.* (*a*) cujus etiam alibi (*b*) hæc sunt:

(b) 3. de Pont. Eleg. 6.

Crede mihi, miseris cœlestia Numina parcunt,
Nec semper læsos & sine fine premunt.

Non infirmitatis Divinæ, sed bonitatis & patientiæ summæ testimonium est, pœnas & coërcitionem impiorum differre. *Homines*, bene ait *Augustinus*, (*c*) *quando judicant, aliquando victi misericordia faciunt contra justitiam, & videtur in eis esse misericordia, & non esse judicium: aliquando vero rigidum volentes tenere judicium, perdunt misericordiam, Deus autem nec in bonitate misericordiæ perdit judicij severitatem, nec in judicando cum severitate amittit misericordiæ bonitatem.* Quanquam etiam homines pro suo lubitu censeantur contumaciter divinũ imperium conculcare, & sic obligatio quoad invitos inefficax esse videatur, satis tamen efficaciter divinum Numen invitos etiam sui admonet officii, coërcendo eosdem potenter, severeq; puniendo. Satis pœnæ inest flagellis illis conscientiæ, quæ *Stobæus* enarrat (*d*) quibus ob neglectam obligationem, contemtumque divinum imperium, perpetuo ejusmodi Cyclopes, qui divinæ obligationi subesse nolunt, cæduntur, ut inviti etiam divinam in se cum jubendi jure conjunctam potestatem agnoscere teneantur. Quemadmodum Julianus, qui cum Christo ipso bellum, gigantum instar, gerebat, cum in expeditione contra Persas

(c) super Ps. 100.

(d) Serm. 24.

Persas lethale vulnus accepisset, attonitus sparso in aëra sanguine dixit: νενίκηκας Γαλιλαῖε, *vicisti Galilæe. victoriam & blasphemiam confessus*, ut *Theodoretus* (e) loquitur. Imo tantum abest ut divino imperio apud homines respondens, supremoque Numini devinciens eosdem, obligatio omni careat firmitudine, coërcendique viribus, ut firmiorem etiam eandem civili obligatione esse censeamus. Homines enim cum fallere, pœnas etiam ipsorum civiles fuga evitare possimus, à mediis his parum præsidii contra Deum omniscium & omnipræsentem, si ejus legem violavimus, petere nobis licet. *Nec tu, nec alius*, eleganter ait *Plato*, (f) *optet, confidatq; se adeo felicem fore, ut judicium Deorum effugiat, atq; exuperet. Nam qui hoc sanxerunt, firmius quam cætera omnia stabilierunt, ut cavendum omnino sit.* οὐ γὰρ ἀμεληθήσῃ ποτὲ ὑπ᾽ αὐτῆς. οὐχ οὕτω σμικρὸς ὢν δύσῃ κατὰ τὸ τῆς γῆς βάθος. οὐδ᾽ ὑψηλὸς γενόμενος, εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναπτήσῃ. τίσεις δὲ αὐτῶν τὴν προσήκουσαν τιμωρίαν, εἴτ᾽ ἐνθάδε μένων, εἴτε καὶ ἐν ᾅδου διαπορευθεὶς, εἴτε καὶ τούτων εἰς ἀγριώτερον ἔτι διακομισθεὶς τόπον. *Nunquam enim ab illo negligeris, nec si ita parvus sis, ut in terræ profundum ingrediaris, nec si adeo sublimis fias, ut pennis elatus, in cœlum voles, sed convenientia supplicia dabis, seu hic maneas, seu ad inferos provectus, seu ad remotiorem aliquem, inaccessibilemq; locum translatus.*

(e) Hist. E. l. 3. c. 20.

(f) l. 11. de Legg. f. 672.

Clarius

(g) Exod. 20. 1.

§. 30. Clarius tamẽ divinũ hoc in humanũ genus imperium, eique respondens mortalium obligatio innotescit ex *decalogo*, quando Legislator supremus, *Ego sum Dominus Deus tuus*, inquit, *(g) Non habebis &c.* his enim verbis suum imperium, cum suprema jubendi cogendiq; potestate conjunctum, satis efficaciter exprimit. Non enim cum illis est sentiendum, qui decalogi præcepta, qua per Mosen sunt promulgata, in Republica Israëlitica leges civiles fuisse censent, nec obligasse gentiles, vel si qui Deum colentes in orbe erant. Quanquam enim Mosis ministerium, ad Israëlitas tum pertinuerit, ipsa tamen *Lex Moralis* à Deo per Mosen promulgata, omnes concernebat homines; ita ut lege decalogi obligentur, non ideo præcise, quod quæ in ea continentur naturalia sunt, sed quatenus etiã ab ipso Deo solenniter est promulgata.

§ 31. Sicut itaq; imperandi jus habet, hominique præscribendi leges Deus, ita ceu effectum hujus divini in hominem imperii merito veneramur Legem illam, quæ, quia à nativitate cujusvis naturæ divinitus impressa inest, *Naturalis* appellatur, qua eundem in vita sociali sui erga *Deum*, *proximum*, & denique *erga seipsum*, admonet *officij*, à qua liberos, sapienter, ordinate, harmonice, convenienter, & bene omnia ordinaturus supremus rerum moderator, homines relinquere non potuit.

ARTIC.

ARTICULUS IV.

De Sapientiâ DEI Legislatoriâ, & Lege Æternâ,

quæ fons est Legis naturalis.

§. 1.

QUale Imperium DEO in hominem sit, & quo jure eundem lege latâ ad obsequium obligare queat, ex dictis constat. Cæterum altius jam ascendendum, & quæ in DEO Legislatore sit ratio illa practica investigandum, secundum quam judicat, quomodo Creaturæ rationales suas functiones obire, & suæ rationali naturæ convenienter vivere debeant, & secundum quæ mentis suæ dictamina lege latâ eas dirigat. *Nihil enim est*, secundum *Athenagor.* (a) in mundo ἀνεπιτρόπευτον μηδ' ἀπρονόητον. (a) lib. de Resurrect.

Cogitavit nos ante natura, quam fecit, ait *Seneca*, (b) ita cogitavit quoque DEUS, antequam cordi nostro, quomodo vivere debeamus, inscripsit, *non enim tam leve opus sumus, ut illi potuerimus excidere.* Et si est Parens, (b) 6. de benef. c. 23.

qui res hominum ——
qui mare, & terras, variisq; mundum
temperat horis.

ut *Horatij* (c) verbis ferè utamur; sanè sicut ab æterno in DEO fuit conceptus, secundùm quem, (c) 1. Carm. od. 12.

Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus
ipſe,

(d) Apol. c. 17. hunc, pro *Tertulliani (d)* judicio, in *ornamentum ſuæ Majeſtatis* condidit; ita negari non debet, dari quoque in DEO rationem, ſecundùm quam ſapienter concepit, & liberè decrevit, quo pacto creaturæ ſuum ordinem ad bonum commune obſervare debeant.

§. 2. Prudentia quippe DEI Legislatoria non concipi à nobis debet citra *dictamina divinæ rationis practica* de agendis, *qui-*
(e) de Legg. l. 2. c. 2. n. 8. *bus* ſecundum *Suarez (e) judicat, quid deceat ſuam bonitatem, ſapientiam & juſtitiam.* Nil enim quod his, aliisque divinis attributis adverſatur, ſe decere DEUS novit, cùm divini decori illa norma & ratio ſint, ceu ali-
(f) de eo quod Deum decet. n. 13. ſeqq. bi *(f)* explicatur; nec aliud divina ratio DEO dictitat, quàm quod bonum, ſanctum, ſapiens, & juſtum, h. e. ſupremo Numini conveniens, & decorum eſt. Difforme enim hoc aliàs à ſeipſo & mutabile eſſet futurum, niſi judicium intellectûs, decreta voluntatis, & actiones reliquæ, perfectiſſimæ ipſius reſponderent eſſentiæ. Atqui
(g) 2. de Rep. f. m. 431. etiam Gentilis *Platonis (g)* judicio, ἀδύνατον καὶ Θεῷ ἐθέλειν αὑτὸν ἀλλοιοῦν, *impoßibile eſt DEUM mutare ſe velle*, cuius rationem ſupra dedit, quia ὁ Θεὸς καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ πάντῃ ἄριστα ἔχει, *DEUS ipſe, & quæ DEI ſunt, omni ex parte ſe quàm optimè habent.* Hæ itaque divinæ perfectiones & attributa ratio ſunt dictaminum

DEI

DEI practicorum, quare divinus intellectus sic, & non aliter judicet. Infinita quippe sua *Omniscientia*, suam non solùm Omnipotentiam, quâ potenter decreta sua exequitur, prout sapientiæ ipsius visum fuit, sed & omnium rerum naturas, & quicquid illis conveniens est, intimè DEUS cognoscit. Et cùm *Sapientia* sua perfectissimo modo omnia penetret, creaturarum suarum, hominum potissimùm, motus ita moderari & dirigere novit, prout cuiusq; naturæ id est congruum. *Bonus* quoq; cùm sit, imò optimus, erga alios etiam, ἀγαθὸς, ἀγαθοῦ τε παντὸς ἀρχὴ, *bonus, & boni omnis principium*, secundum *Euseb.* *(h)* non se decere judicat, ut sic suam dirigat creaturam rationalem, quo illi vel præter suam culpam malè sit, vel ut naturaliter feratur ad id, quod ei adversatur. Bene *Hierocles* *(i)* à divina bonitate creationis omnium rerum causam repetens, ἀγαθὸς ἦν, inquit, φύσει· ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίνεται φθόνος. αἱ γὰρ παρὰ τὴν ἀγαθότητα λεγόμεναι αἰτίαι τῆς δημιουργίας τοῦδε τοῦ παντὸς, ἀνθρωπίναις μᾶλλον περιστάσεσιν, ἢ τῷ Θεῷ πρέπουσιν, *est Deus bonus naturâ ipsa: neq; in eum qui bonus est, ulla unquam rei ullius cadit invidia. Quæ enim aliæ, præter bonitatem, creatæ universitatis huius aßignantur causæ, mortalium neceßitatibus potius, quam Deo conveniunt.* Unde τῶν Θεῶν γένος ἀξιοῦμεν, inquit *Plutarch.* *(k)* αἴτιον μὲν ἀγαθῶν, ἀναίτιον δὲ κακῶν πεφυκὸς, ἄρχειν

(h) l. 4. De. Evang. f. 144.

(i) in Aur. Pythag p. 20.

(k) To. 1. f. 173.

ϰ̀ βασιλεύειν τῶν ὄντων, dignam arbitramur Deorum gentem, quæ per se est propitia, & nullius autor mali, ut rebus præsit, & moderetur. Divina etiam *Sanctitas*, qua DEUS per suam naturam ab omni labe purus, perpetua, & immutabilis idea omnis eius, quod verè sanctum audit, existit, nil nisi sanctum ipsius intellectui dictitat, ut se dedecere ideò judicet, creaturæ ea quæ moraliter mala & turpia sunt præscribere. Sic cùm sit *Iustus*, justum quoque hoc ipsi per justitiam, decensq; esse videtur, justè non solùm hominum genus gubernare, sed & nil nisi justum eidem præcipere; cùm ea tantum quæ justa sunt justitia DEO dictitare queat.

§. 3. Hæc divina Sanctitas & Justitia cùm sint perfectiones DEI immutabiles, ipsaq; divina Essentia antecedenter ad ipsius voluntatem & beneplacitum, hoc primam vel sanctitatis, vel Justitiæ regulam, non dici posse certum est. *Retorfort.* (l) equidem *semper* DEI *beneplacitum regula volendi, agendiq;* esse dicitur, *quemadmodū lex naturæ, & verbum scriptum, est Angelis & hominibus volendi agendiq; regula*; sed mirum non est, cum & spiritu *Sociniano* actus *Iustitiam* DEI *vindicatricem scripturis revelatam, non essentialiter, sed libere* DEO *inesse* contendat; quæ alibi discutiuntur. Sic, *si quaratur*, ait, (m) *cur talis sit natura illius rei, quæ est peccatum recurrendum semper erit ad fontem altißimum,* DEI *æternum beneplacitum*, sed cùm

(l) Apol. pro grat. p. m. 332. seqq.

(m) l. c. p. 346.

cùm ſanctitas Dei puriſſima & immutabilis, quæ omnis ejus, quod ſanctum & bonum audit, idea & norma eſt, DEO non juxta ipſius beneplacitum, ſed per eſſentialem rectitudinem inſit, qui aliàs non eſſet Deus, ſi non eſſet ſanctus, beneplacitum quoque ipſius prima ſanctitatis, & dictaminum DEI practicorum regula eſſe non poteſt. Excipit equidem (n) *voluntatem DEI non eſſe ſimpliciter regulam juſtitiæ, ut contradiſtinguitur à ſapientiâ, ſed quatenus à ſapiente DEI intellectu determinatur*: ſed non omittenda eſt eſſentialis DEI ſanctitas, quâ non neglecta, ſed ſecundùm quam, ceu ideam omnis ſancti, divina Sapientia divinam in volendo quaſi dirigit voluntatem, ut non niſi ea, quæ divinæ ſanctitati quoque congrua ſunt, velit, *eiq; non niſi optima* (ſanctiſſima) *placere poſſint. Nec ob hoc minus liber, & potens eſt, ipſe enim eſt neceſſitas ſua*, judicio etiam Gentilium Sophi *Senecæ* (o).

(n) p. 345.

(o) Præf. in l. 1. qq. Natur.

§. 4. Cæterum cũ, ut *Grot.* (p) loquitur, aliud juſtum ſit *ex æquo inter ſe viventium, aliud eius qui regit, & qui regitur, quâ tales ſunt*, aliud hinc juſtum eſt apud DEUM *æquatoriè*, illis latum, quos æqualiter, & ad æqualia vult obligatos, in quantum nimirum jus nobis obſervandum proponit, quo quatenus ſumus æquales, h. e. homines, ad æqualia ex eiuſdem juris communione præſtanda tenemur; aliud *rectoriè*, exercendum vi juris &

(p) De I. B. P. l. 1. c. 1. n. 3.

 ſupre-

supremi dominii, quod illi in nos competit, dum creaturis suis certum ordinem, quem sequantur, certas leges, quas observent, præscribit, hominesque leges has præfractè conculcantes justè punit. Non verò eandem rectorii & æquatorii juris esse rationem, nec id quod licet jure rectorio, licere quoque & justum esse jure æquatorio, per se patet, cum civi in civem, vel fratri in fratrem non id liceat, quod Majestati in subditos, vel patri in filios. Cum itaque societates inter homines aliæ sint sine inæqualitate, quales sunt inter fratres, cives; aliæ vero inæquales, inter imperantes scil. & parentes, id quod utroque modo justum est inter homines DEUS sancit, danturque in divino intellectu utriusque justi dictamina. Quia verò hominis quod in hominem ceu æqualem se extendit imperium, origine divinum, divino beneplacito limitatum, & sic non absolutum est, non omnia licent homini in hominem, quamvis subditum, quæ DEUS suo jure, & vi imperii, in eundem agere potest.

§. 5. Hæc, si observentur, quid de illis, quæ à Dn. *Pufendorf.* (q) objiciuntur, habendum sit, patet. Ita verò ille: *Etsi nemo tàm impius sit futurus, qui adserere audeat, legem naturalem continere aliquid in se sanctitati, & justitiæ divinæ repugnans: difficile tamen erit probatu, legem naturalem ita ad sanctitatem & justitiam divinam esse expressam, ut quo modo se DEUS*

(q) De I.N.G. l.2.c.3.n.5.

DEUS erga creaturas suas, & peculiariter adversus homines gerit, taliter etiam sese homines invicem, jubente naturali Lege, gerere debeant. Verùm cùm DEUS nobis per legem naturalem non tam præscribat rationem juris *rectorij*, quàm *æquatorij*, manifestum est, quoad hoc eiusmodi legis naturalis ad sanctitatem & justitiam factam expressionem, qualem *Pufendorff.* describit, non esse necessariam, nec à nobis probari. Quod verò addit, non apparere, *quomodo jus, inter æquales natura valiturum, exprimi poterit, ex eminentissimo illo jure, quo creator erga creaturam suam utitur.* i. e. *quomodo lex, mutuam hominibus obligationem afferens, possit esse specimen potestatis divinæ, quæ nullâ lege, nullaq; obligatione coerceri apta est*, itidem nos non ferit, cùm legem naturalem juris divini tantùm *Rectorij*, & quidem absoluti, supremi item eiusdem Dominii, expressionem esse nunquam dictum fuerit. Cumq; principia practica nobiscum nata sint imaginis divinæ reliquiæ, scintillulas quoq; divinæ sanctitatis in nobis radiantis, & reliquias ἐκτύπου, cuius πρωτότυπον in DEO, esse oportet, ut proinde omnino huc faciant ea, *quæ ex Script. sacris adferuntur, quod homo ad imaginem DEI sit conditus.* Sanè si homo concreatam sibi habuit divinam Justitiam & sanctitatem, reliquias scintillulas divinæ huius justitiæ & sanctitatis in nobis resplendescentis esse necesse est. Quando verò *inter homines*, inquit, *san-*

ctum solemus vocare, qui crassioribus sese vitiis abstinet, & officij est observans, quæritque, num quis ad hunc modum sanctitatem DEI conceperit? Sanctitatem civilem & externam cum internâ confundit. Jehova certè, *quando sancti*, inquit, *estote, sicut & ego sanctus sum*, vel *quando jubemur esse misericordes, sicut Pater noster est misericors*, non jubemur à crassioribus tantùm vitiis abstinere, vel in speciem tantum misericordiam proximo exhibere, sed interior potissimum, meliorq; nobis præcipitur perfectio. Nec jus naturæ circa externas tantùm, vel *potissimùm*, hominis actiones formandas versatur, cum utpote DEI lex, qui καρδιογνώστης est, interiorem rectitudinem primariò respiciat, ceu contra *Pufendorff.* hoc eruditè disputat Doctiss. L. *Valentin. Albert.* (r) Et quia ipse DEUS suam sanctitatem nobis proponit, ut ipsi in vitæ conversatione assimilemur, satis, ait, *Seneca* (s) *Deos coluit, quisquis imitatus est*, eâ scilicet ratione, quam ipse nobis explicat, legem naturæ & moralem, quâ id docetur & præscribitur, divinæ sanctitatis in nobis resplendescentis radios esse necesse est. Idem judicandum est de reliquiis divinæ justitiæ in nobis per legem naturæ resplendescentis.

(r) Comp. I.N. P. I. p. 47.

(s) Epist. 95.

§. 6. Hoc nisi foret, nisi radii divinæ sanctitatis & justitiæ in nobis resplendescerent, non permittere posset DEUS, à nobis

bis de se secundum hanc normam ita judicari, ut id quod apud nos secundum legem naturæ turpe & iniustum esse deprehenditur, illud quoque à DEO abesse debere ita confidenter affirmare possimus, sicut hoc etiam in aliquot locis biblicis *Grotius* (t) observat. Esa. 5. 3. Ezech. 18. 25. ad naturale & sanum de eo quod justum est hominum judicium DEUS provocat, ut ipsi secundum rectæ suæ rationis dictamina judicare velint, annon justè agat, ipsi verò iniusti sint, & jure puniri queant. *αὐτά φησι* (DEUS scil.) *βοᾷ τὰ πράγματα, ὅτι αἱ μὲν ἐμαὶ κρίσεις ὀρθαὶ καὶ δίκαιαι, ἡ δὲ ὑμετέρα προαίρεσις παρανομίας μεστή, ipsæ, inquit* DEUS, *res clamant, judicia mea recta & justa esse, at vestrum institutum, improbitatis plenum*, scribit explicaturus verba DEI, quæ Ezech. 18. 29. habentur, *Theodoret* (u) At verò ad nostræ conscientiæ judicium talis appellatio à Numine non fieri posset, nisi scintillulæ istæ justitiæ quæ in nobis sunt, expressæ forent ad eam quæ in DEO est justitiam. Sic cum, quod nostro judicio iniustum est, morti tradere justum cum iniusto, ceu ejusdem culpæ reos, ut ita sit justo, sicut iniusto, rectè ad id se applicari DEUS passus fuerit ab *Abrahamo* (x), cognoscitur hinc, id quod lege naturali justum & æquum est, non esse dissimile æquo & justo quod DEUM decet, Denique sicut Justitia, quam lex naturæ

(t) de I. B. P. I. I. 10.

(u) t. II. Opp. f. 391.

(x) Genes. 18. 25.

G 5 homi-

hominibus præscribit, est constans & perpetua voluntas unicuique suum tribuendi, ita quoque justum est apud DEUM *ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν, καὶ ὑμῖν τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν μεθ' ἡμῶν, reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem, & vobis, qui affligimini, relaxationem nobiscum*, qui proinde etiam, ceu justus judex, *ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, redditurus unicuique est juxta facta sua*, ut *Paulus*
(y) 2. Thess. 1. 6. 7. Rom. 2. 6. (y) loquitur. Rectè proinde *Clemens Alexandrin.* (z) *καὶ*, inquit, *οὐκ ἔστι τῷ θεῷ ὁμοιότερον οὐδὲν, ἢ ὅτι ἂν ἡμῶν γένηται, ὅτι δικαιότατος, neque est Deo*
(z) Admon. ad Gent. f. 61. *quicquam similius, quam qui ex nobis fuerit justissimus.* Et *Plato* (a) DEO similem *ἀγαθὸν, virum bonum*, & *πάντων ἱερώτατον, omnium*
(a) Mino. f. 46. *sacratissimum* pronuntiat. Quod tamen non hoc sensu accipi debet, ac si scintillulæ divinæ quæ in nobis per naturam sunt justitiæ, infinitum istum, qui in DEO est, solem sic exacte per omnia repræsentarent, quasi nobis jure, & justè omnia illa ita licerent, quæ justa sunt apud Deum, Dominum & judicem supremum, cùm non nisi radios quosdam de infinita ista divinæ justitiæ & sanctitatis luce participemus, qui, & quales sint, per dictamen rectæ rationis partim, partim per Decalogum nobis innotescit.

§. 7. Ita ergo *divina attributa* sunt *ratio & norma dictaminum* DEI *practicorum*, secundum quæ divinus intellectus jam ab æterno judicavit, decrevitque DEUS, quâ lege

suo

ſuo tempore hominum actiones dirigere, hominesque ad obſequium obligare vellet. Cùm verò bonum Legislatorem in ferendâ lege virium, & genii illorum, quos lege ſuâ vult obligatos, prudentem oporteat habere rationem, exemplo Solonis, & aliorum, ita quoque divina ſapientia inter reliqua divina attributa tali temperamento agit, ut & illorum, & ſimul humanæ naturæ habeat rationem, ut Leges præſcribat, quæ & divinæ ſanctitati, juſtitiæ & bonitati, naturæ etiam humanæ ſint congruæ. Meritò hæc *Sapientia* DEI *Legiſlatoria* appellatur, ceu quâ DEUS non ſolùm judicat, quid ſe deceat, quidve ſuis attributis conveniens ſit, ſed & quid creaturis etiam ſingulis, rationalibus potiſſimùm, & illarum actionibus conveniat, quâve gubernandæ ſint ratione, quidque illis præcipi & poſſit, & debeat, ſi lege illas vellet obligatas. Hæc dictamina legislatoria, quæ ſic in divinâ mente concipimus, reſpicit *Cicero* (*b*) quando *hanc*, inquit, *in* DEO *ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neq; hominum ingeniis excogitatam, neq; ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quoddam, quod univerſum mundum regeret, imperandi, prohibendiq; Sapientiam.* Nec *Plato* (*c*) illam divinam ordinationem aliter explicavit, *quàm ut unaquæq; pars pro viribus τὸ πρέπον, quod ſibi convenit, agat, aut patiatur.* *Hierocl.* (*d*) λέγομεν, inquit, ὅτι νόμος μὲν ἡ ἄτρεπτος

(*b*) 2. de Leg. P. 170.

(*c*) 10. de Legg. f. 671.

(*d*) in Aur. Pythag. p 22.

τέλος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἡ δημιουργικὴ ἐνέργεια, ἡ γεννῶσα τὰ θεῖα γένη, τάττουσα ἀϊδίως καὶ ἀμεταβλήτως, *dicimus legis quidem nomine immutabilem DEI opificis actionem, à qua divina gratia producuntur, & qua in perpetuum, nullaq; facta mutatione ordinantur, significari.* Ex Christianis hinc B. *Augustinus* (e) Legem DEI æternam ita explicat, *quod sit ratio in mente DEI existens, qua res omnes per consentanea media in suos fines diriguntur.* De quo tamen, utrum in intellectu divino, an in voluntate Lex hæc poni debeat, in sequentibus dicetur.

(e) 1 de Lib. Arbitr. c. 5. & c. 6. 1. Opp. f. 672.

§. 8. Non malè etiam, quomodo Sapientia DEI Legislatoria id quod hominis naturæ conveniens est respiciat, explicat *Robertus Sanderson* (f): *Indidit enim DEVS in prima mundi creatione, ut creaturis brutis, & inanimatis instinctum naturalem, quo inclinantur ad ea facienda, quæ sunt congrua naturæ suæ, & eius conservativa; ita & homini Legem quandam naturalem, naturæ suæ, ut rationalis creatura est, proportionatam; h. e. sublimiorem multò, & nobiliorem, & (si fas dicere) diviniorem, quàm quæ aliis inferioris huius orbis creaturis data est; quæ ipsum ad ea agenda impellat, quæ sunt Naturæ suæ congrua quatenus homo est, animal nempe ratione præditum; h. e. verbo dicam, ad vivendum secundum rationem.*

(f) de Conscientia p. m. 173.

§. 9. Quomodo itaque dictamina DEI practica Legislatoria se habeant, & qualis sit conceptus divinæ mentis legislatorius circa homi-

hominem, eiusque actus formandos, ex his haud obſcurè conſtare poteſt. Nimirum cum hominis conditio hæc ſit, ut ceu agens rationale, & proinde liberum, benè & malè agere, vitamque item honeſtam & turpem ducere poſſit, ſocietatis etiam ratio eundem ab omni lege exemptum vivere non permittat, rectè hinc infertur, ſupremum Numen, cuius Providentiam actiones & motus hominum non effugiunt; nihil etenim, ſecundum *Irenæum* (g), *omninò eorum, quæ facta ſunt, & quæ fiunt, DEUM fugiunt, ſed per illius Providentiam unumquodq; & habitum & numemerum & quantitatem accipit*: cum ſit optimum & ſapientiſſimum, talem concepiſſe rationem practicam gubernandi genus humanum, ut non niſi ſanctè, juſtè, humanæq; ſocietati conſervandæ modo congruo actus noſtros & motiones dirigeret; talique nos ſibi devinciret lege, ut non niſi ſanctè, juſtè, humanæque noſtræ naturæ convenienter viveremus, ceu ex Gentilibus etiam *Platoni*, *Ciceroni*, *Hierocli* viſum fuit. Intereà cùm ſecundùm ordinem naturæ divinitus inſtitutum, quo ab unius hominis ſanguine omnes deſcendunt mortales, non omnes æquales per omnia eſſe poſſimus, vita etiam inſuper ſocialis imperio aliquo ceu vinculo naturali egeat, juſtum in ratione divinâ practicâ, quâ creaturas ordinat, non ad fines tantùm illorum naturæ ex aſſe congruos, ſed

(g) Lib. 2, c. 45. f. 132.

ſed etiam , ut benè loquitur *Ludov. Molin.* (*b*) *ſimul ad ſe , tanquam ad unicum ultimum finem ad oſtenſionem ſuæ infinitæ bonitatis , ſapientiæq; ac cæterorum ſuorum attributorum*, ſanctitatis ſcil. & juſtitiæ, juſtum hoc, inquam, non tantum jus continebit Æquatorium, quo ad eadem , & æqualia officia mortales ſuos volet obligatos ſupremus ille in orbe Arbiter, ſed & juris Rectorii aliquid involvet, in quantum ſc. imperium divinum vicarium in hominum cœtu erit exercendum, non tamen ulterius conceſſum, quàm ad vitam ſocialem neceſſarium eſt, ita ut quoad reliqua vitæ humanæ negotia valeat jus æquatorium, jure verò rectorio illa facere liceat, quæ vitæ ſocialis & imperii neceſſitas requirit.

(b) de I. & I. t. 6. tr. 5 diſp. 46. n. 23. f. 1692.

§. 10. Cæterum neque Prudentia DEI Legislatoria, neque dictamina rationis divinæ practica rationem legis habent , ceu non malè hoc docet *Suarez.* (*i*) *Non enim proponunt præceptum aliquod, nec voluntatem alicuius intimant, ſed tantùm oſtendunt, indicando quid rei natura habeat.* Et ſi conſiderentur in ordine ad ipſam divinam voluntatem, dictitant quid DEUM ex ratione ſuæ bonitatis, juſtitiæ, ſapientiæ, miſericordiæ, ſanctitatis velle deceat, v. c. non eſſe mentiendum, ſervanda eſſe promiſſa , mala eſſe punienda. *Sin verò conſiderentur in ordine ad voluntatem creatam , quatenus dictant , quid ab illâ faciendum*

(i) de Legg. f. 60.

dum sit aut vitandum, *etiam*, ut *Francisc. Suarez.* (*k*) loquitur, *non habent rationem legis, donec accedat divina voluntas. quia non sunt imperia, nec practicè movent, sed sunt quasi speculativa cognitio talium objectorum.* At quando DEUS secundùm ista dictamina decernit, (quod est voluntatis actus,) quo pacto creaturæ rationales suum servare ordinem, suasque obire functiones debeant, tum istud decretum divinæ voluntatis ordinem, cuiq; suum agendique rationem præscribentis, vim legis acquirit, estque illa Christianis non solùm, sed etiam Gentilibus toties deprædicata *Lex DEI æterna*, quam ex nostratibus præ aliis copiosè *Augustinus*, ex Ethnicis *Cicero* exposuit, de qua etiam à *Pythagoricis* & *Platonicis* dicta sane illustria extant. Ex illis *Hierocl.* (*l*) νόμος, inquit, ὁ δημιουργικὸς νοῦς, καὶ ἡ θεία βούλησις, ἡ ἀϊδίως παράγουσα τὰ πάντα, καὶ εἰς ἀεὶ διασώζουσα, *Lex mens opifex*, *ipsaq;* voluntas divina; *quasi omnia perpetuo producit, semperq; conservat.* & mox, *in rerum essentia legem ipsam jacere* docet. verba sunt hæc: ὡς ἐν τῇ οὐσίᾳ ὄντων κεῖσθαι τὸν Νόμον &c. Ex his *Apuleius* (*m*) Providentiam *divinam* vocat *legem*, explicatque quomodo DEUS *leges fundaverit omnium dispositionum, quas ad tutelam rerum quotidie fieri necesse est, ut omnia immutabilem ordinationis paternæ statum teneant.* Ex *Stoicis* legis huius æternæ mentionem facit *Seneca*.

(k) l. a

(l) in Carm. Pythag. p.18.

(m) l. de Dogm. Platon. p. m.53. seqq.

§. 11. Hoc divinæ voluntatis decretum, cum

cum sit norma actuum, & mensura agendorum vim obligandi habens, benè *Lex* appellatur; cumque hæc administrandi forma, juxta quam æquè sapienter atque suaviter omnia disponit, & gubernat DEUS, ab æterno in eodem extiterit, jure dicitur *æterna*. Quanquam verò ante mundum conditum nemo fuerit, cui ista Lex æterna promulgari, quemque etiam obligare potuisset, vim tamen illam, ac proximam obligandi creaturas extituras potentiam jam habuit, id quod ad rationem legis æternæ satis est. DEI Lex autem vocatur, non quasi mensura aut regula foret actuum Dei, seu ad intra, seu ad extra terminatorum. Illi enim sunt naturales, ab intrinseco necessarii, nec sub legem cadunt; hi verò non sunt subiecti potentioris alicuius superioris imperio. Etsi verò negari non possit, quod in divinâ mente decretum voluntatis de agendis ordine rationis præcedant dictamina practica, legis tamen rationem respectu divinæ voluntatis non habent, cum non præcipiant, vel voluntatem superioris dictitent, verùm quæ sit ratio agendorum indicent. *Simpliciter dictamina divinæ mentis practica*, scribit Ioachim Hildebrand.(n) *ostendunt, quæ sit* DEI *natura, vel quod illarum rerum, quæ dictaminibus istis prohibentur, talis sit ad essentiam* DEI *habitudo, ut cum hâc consistere non magis possint, quàm si hominem irrationalem,*

(n) de Leg. Dei ætern. §. 39.

ignem

ignem frigidum, DEVM ligneum, σιδηρόξυλον, & similia rationis entia fingas.

§. 12. Quanquam autem DEUS contra intellectus sui dictamina agere non possit, id tamen non est ex legis prohibitione quâdam, sed ex naturali ipsius hoc fit rectitudine, quæ instar Legis ei est, contra quam agere nescit, cùm, quod nobis lex est, DEO sit ipsius natura. Ignorat Deus mentiri non ob legem à superiori latam, sed quia cum ipsis essentiâ, quæ veritas est, mendacium componi nequit. Ita cum sit optimus, nocere non potest. *quæ causa*, inquit *Seneca*, (o) *est Diis benefaciendi?* NATURA. *Errat, si quis putat illos nocere velle, non possunt, nec accipere injuriam queunt, nec facere.* Rebar, inquit *Arnob.* hinc, (p) *spontaneas esse Numinum benignitates, ultroq; ab his fluere inexpectata benevolentiæ munera.* & paulò pòst: *Hoc est proprium DEI potentis ac veri, inexorata beneficia præbere fessis atq; invalidis rebus, & multiformi semper asperitate vallatis.*

(o) Epist. 95.

(p) 3. advers. Gent. p. 67.

§. 13. Alia verò est ratio motuum & actionum creaturarum, potissimum tamen rationalium. omnes enim cum sint subjectæ divinæ gubernationi, tenentur leges summi creatoris & ordinatoris agnoscere; cum, ut *August.* (q) docet, *regna hominum, eorumq; dominationes & servitutes, à suæ* PROVIDENTIÆ LEGIBUS *alienas esse DEVS non voluerit.* Dicitur hinc eidem *Lex æterna* alibi (r).

(q) l. 5. de civit. Dei. c. 11. t. 5. Opp. f. 303.

(r) de ver. Relig. t. 1. f. 723.

incommutabilis veritas: *Lex omnium artium & omnipotentis artificis*, ſicut fere etiam *Hierocles* loqui amat. Et *Seneca* (s) *non externa*, inquit, *cogunt Deos, ſed ſua illis in legē æterna voluntas eſt. ſtatuerunt quæ non mutarent.* Conſtituit quippe DEUS ab æterno non ſolùm quomodo agentia libera ſuas actiones obire, ſed & quomodo agentia naturalia ſuum ſervare ordinem, & intra eundem ad ſuum finem dirigi debeant. Quod divinum Statutum omnibus obligationem imponens, *lex* illa *æterna eſt*, quæ à *Martin.* (t) *Bonacina* hinc dicitur *ipſa mens divina*, *qua ab æterno omnia ordinavit.* Etſi verò huic divinæ ordinationi æternæ creaturæ irrationales etiam ſint ſubjectæ, quia tamen intellectus cognitione, libertate item voluntatis carent, & per naturalem quendam impetum & inſtinctum in fines ſuos aguntur, reſpectu illarum Lex æterna propriam ſtrictamque legis rationem habere non poteſt, ſed reſpectu tantùm rationalis creaturæ, quæ ſola liberè parere, adeoq; ſub peccato obligari poteſt, ad quam etiam propterea ſub propriâ appellatione *Lex Æterna* tantùm extenditur.

(s) 6. de Benef. c. 26.

(t) t. 2. opp. Theol. Mor. f. 2. n. 1. 2.

§ 14. Sub hâc itaque determinatione, & in ordine ad libere & cum ratione agentia, quando ſpectatur, ſtrictiùs aliquantò, & ad rationalem naturam accommodatè, quid ſit *Lex* hæc DEI *æterna* explicatur. *Eſcobar* (u). hinc *Lex æterna dicitur mens & ratio* DEI *bona* *præ-*

(u) Theol. Moral. p. m. 35.

præcipiens, mala prohibens. Explicatius *Petrus Marchant.* (x) loquitur, quod sc. *Lex* hæc sit *ipsamet Dei rectitudo, & prima veritas, quatenus per illam omnis rectitudo mensuranda, & regulanda intelligitur, seu concipitur; atque ipsemet DEUS, prout omnis rectitudinis principium.* Alibi (y) *Legem hanc omnium Legum fundamentum, primæ* item & *æternæ veritatis, omnis rectitudinis & obliquitatis indicem, regulam & perpendiculum esse* dicit. Eodem etiam sensu *Cicero* (z). legem hanc, quam *principem & ultimam* appellat, *mentem esse* dixit, *omnia ratione aut cogentis aut vetantis DEI.* Et *Augustinus* (a). *Legem æternam* dicit *esse divinam rationem. vel voluntatem, ordinem naturalem conservari jubentem, perturbari vetantem.* Alibi idem (b) *Lex æterna* est, inquit, *qua justum est, ut omnia sint ordinatissima.* Norma nimirùm illa est, quà DEUS secundum sapientiæ, sanctitatis, justitiæ & bonitatis suæ dictamina, jam ab æterno voluit, quomodo, cum simus agentia intellectualia, & sic in tantum ipsi similes, vitam agere quoq; intellectualem debeamus, ut simus sancti, quemadmodū ipse sanctus est. Conceptus enim DEI æternus, secundum quem homines ceu creaturas rationales gubernare intendit, quin conveniens sit illorum naturæ, cum DEUM non nisi sapienter & bene agere deceat, dubium non est; cùm verò eidem, ceu rationali & intellectuali agenti, nihil magis congruum dici queat, quàm ut cum suo creatore, itidem

(x) Trib. sacrā. tom. 2. f. 239.

(y) l. c. f. 337.

(z) 2. de Legg. p. 171.

(a) cōtr. Faust. l. 22. c. 27. T. 6. Opp. f. 406.

(b) 1. de Lib. Arb. c. 5. T. 1. Opp. f. 627.

intellectuali agente conformetur, & rationalem vivat vitã, ipsa hinc divina rectitudo, sanctitas & justitia, prout in DEO rationis normativæ instar sunt eius quod DEUM decet, cum, ut dictũ, hominis perfectio & felicitas in hoc consistat, ut DEO reddatur similis, hæc inquam, divina rectitudo in mente DEI, non nisi sancta & justa creaturæ rationali præcipienda, dictitabit; quæ cum DEUS bene homines gubernaturus ab æterno ita præscribere decrevit, *Legem DEI æternam*, in ordine ad liberè & cum ratione agentia, esse decretum divinæ voluntatis, quo DEUS statuit, quomodo creaturæ rationales liberas suas operationes, modò suæ huic sanctitati & justitiæ conformi, formare, & exercere debeant, rectè infertur.

§. 15. Legi æternæ ita spectatæ non omnes hominis actiones, naturales sc, quâ tales sunt, sed liberæ tantum, subjectæ sunt, ut eas vel præcipiat, bonas sc. vel prohibeat, nimirum malas. Libera enim agentia propriè sub peccato obligari possunt, & quidem quoad illas tantùm, non quæ ex naturali quadam necessitate, sed liberè eliciuntur actiones, cùm ea, quæ aliter quàm geruntur, fieri non possint, frustra præcipiantur, vel prohibeantur. Ut tamen illa, quæ libertate in agendo carent, suo modo divinæ ordinationi subsint, placuit DEO il-

lis

lis indere naturalem instinctum, juxta quem in fines præordinatos ferantur; cumque ita cum productione illorum una principia DEUS illis impresserit, à quibus non abire possunt, quo pacto talia agentia irrationalia & naturalia lege DEI æternâ teneantur, illorumque motus ea respiciat, haud obscurè colligitur; per naturalem sc. illum instinctum, qui respondet decreto divinæ voluntatis, quo pacto suum ordinem servare, & in fines suos ferri debeant, statuentis, cui etiam naturali potius necessitate, quàm obedientiâ propriè tali sunt subjecta.

§. 16. Cæterùm sicut aliæ Leges propriè tales, illos, quibus feruntur, vim obligandi habent; ita Lex quoque æterna, quatenus per illam agentia rationalia & libera diriguntur, eadem obligat: vim verò obligandi ut exerat, necesse est, ut in illorum ad quos pertinet, eâ ratione quâ ad illos pertinet, cognitionem veniat; quare & *Lex æterna*, quâ homines respicit, illis innotescere debet. Facit hoc supremus rerum moderator per implantationem legis naturalis, quæ in nobis ad eum modum exprimitur, vel potius expressa fuit, quo Deus ab æterno secundum sanctitatem, bonitatem & justitiam suam, genus humanum modo eidem convenienti gubernare constituit, ut proinde Lex naturæ sit quædam pro-

mulgatio legis æternæ à DEO nobis facta ut sciamus, quænam illa lex sit, quâ jam ab æterno supremum Numen sibi nos voluit obligatos. Et sic resplendet ex lege DEI æternâ in nobis Lex naturæ, estque radius, & resplendescentia quædam quasi, divinæ rectitudinis, sanctitatis & justitiæ immutabilis in nobis, in quantum divina Sapientia secundum hæc attributa creaturam intellectualem creatori conformem fieri, & vivere debere, eandemque gubernandam esse, judicavit. Considerans hoc *Cicer.* (c) rectè Legum obligationem à lege illâ æternâ deducendam esse credidit. *Intelligi*, inquit, *sic oportet, & hæc, & alia jussa, ac vetita populorum, vim habere ad rectè facta vocandi, & à peccatis avocandi: quæ vis non modò senior est, quàm ætas populorum & civitatum, sed æqualis illius, cœlum, atq; terras tuentis & regentis* DEI. *Neq; enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis, pravisq; sanciendis habere: nec quia nusquam erat scriptum, ut contra omnes hostium copias in ponte unus assisteret, à tergoque pontem interscindi juberet, idcircò minus Coclitem illum rem gessisse tantam fortitudinis lege, atq; imperio putabimus: nec si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcircò non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini Filiæ, attulit. erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad recte faciendum impel-*

(c) 2. de Legg. P. 171.

impellens, & à delicto avocans: quæ non tum deniq; incipit Lex esse, cum scripta est, sed tum, cùm orta est. Orta autem simul est cum mente divinâ, h.e. nunquam, sed fuit ab æterno. δημιουργικὸς νόμος hinc esse dicit *Hierocl.* (d) à quibus *discrimen omnium*, & sic quoque discrimen honestorum, & turpium, quatenus à DEO per leges nobis est propositum, prodiit.

§. 17. Non malè ergò dicitur à lege æterna, legem naturæ, aliasque etiam leges derivari, tàm ratione æqui & boni quod præcipiunt, quàm ratione obligationis. Rectæ enim rationis dictamen, bonum & justū, vis ité obligandi, legi DEI æternæ, ceu normæ & Legi primæ, inest per se, reliquis autem per participationem. Ita Lex naturæ est ἔκτυπον legis æternæ, in nobis expressa à DEO ad legem æternam, in quantum per illam benè, sanctè, justè, & rationali socialiq; nostræ naturæ convenienti quâdam rationei nos gubernare decrevit. Non enim illa nobis innotescit, nisi promulgetur, promulgatur autem per legem naturæ nostræ divinitùs implantatam; hancq; non sine tacito obligationis sensu per conscientiam cognoscentes, ipsam DEI quoq; legem æternam, qua ad nos pertinet, cognoscimus. Cum sicut DEUS agentia naturalia per instinctum, qui radius legis æternæ in illis est, secundum quem in suos præordinatos fines feruntur,

(d) in Aur. Pyth. p. 22.

runtur, dirigit; ita homines per legem naturæ, legi ipsius æternæ, quâ agentia rationalia & socialia respicit, respondentem, dirigere & gubernare constituit.

§. 18. Rectè propterea *naturæ lex rivulus quidam* esse dicitur, *ex fonte Legis æternæ*, quæ in DEO est, deductus, ac divinæ illius lucis, sapientiæ, justitiæ, sanctitatis & bonitatis in DEO radius quidam in nobis resplendescens, signumque divinæ voluntatis bonum præcipientis, malum prohibentis. Distinguit hinc *Iustin. Martyr.* (e) inter *semen rationis* nobis insitum, & id, unde illud ortum est: ἕτερον, inquit, γάρ ἐστι σπέρμα τινὸς καὶ μίμημα κατὰ δύναμιν δοθὲν, καὶ ἕτερον αὐτὸ οὗ κατὰ χάριν τὴν ἀπ' ἐκείνου ἡ μετουσία καὶ μίμησις γίνεται, *aliud enim est semen alicuius, & imitatio pro virili parte concessa; & aliud ipsum (semen primarium) per cuius gratiam inde provenientem participatio illa & imitatio existit.* Et graviter *Tertullian.* (f) *Quæres igitur*, ait, DEI *legem, habens communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet provocare.* Bene quoque *Gregor. Nazianz.* (g) ὁ ἐκ Θεοῦ λόγος, inquit, καὶ πᾶσι σύμφυτος, καὶ πρῶτος ἐν ἡμῖν νόμος, καὶ πᾶσι συνημμένος, *ratio divinitus omnibus insita, & prima in pectoribus nostris condita lex, cunctisq; mortalibus innexa est.* Addimus his prolixa licet, elegantia tamen, & huic pertinentia *Ciceronis* verba (h): *Est*, inquit, *Lex recta ratio, naturæ congruens diffusa in omnes, constans,*

(e) Apol. I. f. 40.

(f) De coron. mil. c. 5. f. 480.

(g) Orat. 34. f. 548.

(h) apud Lactant. 6. 8.

constans. SEMPITERNA, *quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quæ tamen neque probos frustra jubet, aut vetat, nec improbos jubendo ac vetando movet.* & mox. *Nec vero aut per Senatum aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quærendus explanator, ac interpres eius alius: nec erit alia Lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed & omnes gentes, & omni tempore una lex & sempiterna & immortalis continebit: unusque* ERIT COMMUNIS QUASI MAGISTER & IMPERATOR OMNIUM DEUS ILLE, LEGIS HUIUS INVENTOR, DISCEPTATOR, LATOR.

§. 19. Leges verò quod attinet humanas, quanquam vis illarũ obligandi proximè sit à voluntate illius, penes quem easdem ferendi potestas fuit, quicquid tamen æqui & justi in illis continetur, & ad felicem cœtus civilis conservationem pertinet, in lege istâ primâ æterna radicatur. Rectè proinde *Plato* (*i*) Deum τὴν αἰτίαν τῆς τῶν νόμων θέσεως, *condendarum legum causam asserere decere docet*; qui &, ceu ex *Timæo*, *Phædro*, & *Gorgia* eiusdem colligit *Marsil. Ficin.* (*k*) *Legis quatuor constituit species*, quarum primam *divinam Providentiam* vocavit, omnesque leges à *primo rerum principio manare* statuit. *Cicero* (*l*) etiam leges hominum ad istam legem æternam dirigendas esse monuit, *Ergo est*, inquit, *Lex justorum, iniustorumq; distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium prin-*

(*i*) 1. de Legg. f. 563.

(*k*) Argum. & comment. in Plat. Min. f. 756.

(*l*) 2. de Legg. l. c.

cipem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt, & tuentur bonos. Idem docuit ex Patribus *Augustinus* (m): *Conditor,* ait, *Legum temporalium, si vir bonus est, & sapiens, illam ipsam consulit aeternam, de quâ nulli animo judicare datum est, ut secundum eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum, vetandumve, discernat.*

(m) de vera Rel. c.31.T.1. Opp.

§. 20. Norunt vero illi qui secundum disciplinam Christianorum de origine juris naturalis loquuntur, hæc de facta voluntatis divinæ, quid nos facere deceat, in natura integra nobiscum communicatione, eleganter explicare ex doctrina de *Imagine DEI* in homine, in qua nostri & Dei similitudine, ipsi etiam Gentiles perfectionem nostram collocarunt, ceu infra explicabitur. Recte enim cum hominem vivere ab æterno Deus decrevisset, viriū quoq; omnium rectitudinem & integritatem ei concessit, sanctitatemq; & justitiam eidem impressit, quę ceu imago divinam sanctitatem & justitiam, summamque hominis cum lege divina conformitatem, perfecte referret. Sed λογικὸς καὶ κατ' εἰκόνα γενόμενος ἄνθρωπος ἠφανίζετο, καὶ τὸ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γενόμενον ἔργον παραπώλλυτο *rationalis, & secundū imaginē Dei factus homo disparuit, & opus à DEO factū dispernit*, ut loquitur *Athanas.* (n). Unde sicut regulæ juris naturalis practicæ, quæ in nobis supersunt, reliquiæ sunt imaginis

(n) de Incarn. f.58.

ginis divinæ, ita quin fragmenta legis DEI æternæ, qua eadem in creatione per imaginis divinæ concreatæ implantationem homini promulgata fuerat, in tantum supereſdicantur, nil impedit. Bene hinc *Auguſtin.* (o) *non uſque adeo*, inquit, *in anima humana imago DEI terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde meritò dici poſſit, impios etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere.* (o) l de Spir. & lit. c. 28.

ARTICULUS V.

Quid ſit id, quod legis rationem in homine habet.

§. I.

QUandoquidem ergo Lex naturæ ſit aliquid in nobis, per quod & DEI Lex æterna nobis innoteſcit, & per quod homines ſui officii monere DEUS intendit; quomodo providum Numen ſe non ἀμάρτυρον in nobis reliquerit, jam diſpiciendũ eſt. Inveſtigare autem hic oportet, quænam ſint illæ in nobis legem DEI æternam, in quantum nos illa concernit, repræſentantes reliquiæ, & quodnam illud ſit, quod in homine adhuc reliquum, legis rationem habet. Hoc verò explicaturi in noſmetipſos deſcendere tenemur, ut noſmetipſos cognoſca-

noſcamus,& in mentis noſtræ abditos receſſus, cæcasq; latebras penetremus, neceſſe

(a) Orat. 10. eſt, νοῦν ἔχων. inquit *Dio Chryſoſt.* (a) *γνώσῃ ἀπὸ σαυτοῦ ὅτι σοι πρακτέον ἐστὶ, καὶ ὅπως, mentem habens ſcies ex temetipſo, quid tibi ſit faciendum, & quomodo.* Intellectum in ſeipſum intueri oportet, ſuamque intelligere intellectionem, & quid cognoſcat, conſiderare. Omnis quippe lex intellectui cognoſcenda objicitur, cum non niſi cognita dirigere poſſit eum, cui eſt præſcripta.

§. 2. *Obiective* lex naturæ eſt in intellectu, in quantum ſc. ab eodem per modum objecti cognoſcitur; præter hoc vero eadem ſimul eſt in intellectu *ſubiective*. Cum vero intellectui *ſubiective* aliquid ineſſe dupliciter dicatur, vel per modum habitus permanentis, vel per modum judicii, cognitionis & actus tranſeuntis, qua ratione Lex naturæ intellectui inſit, diſquirendum eſt. In quæſtione itaque *quid ſit id, quod in nobis legis naturalis rationem habet?* non ſufficit, ſi illud I. per modum *actus, judicij, & dictaminis*

(b) Sũ. Theol. 1.2 q.49. *actualis* ineſſe dicitur, ceu *Thomas* (b), *Gregor. de Valent.* (c) *Suárez.* (d) aliique ſentiunt. Actus enim eſt motus tranſiens, cum legem

(c) in Thom. l.c. naturalem naturæ noſtræ ſemper impreſſam eſſe oporteat. Nam cum homo perpetuo

(d) de Legg. l.2. c.5. n.14. f.68. huic legi ſit ſubjectus, non aptitudine tantum, quod ad naturalem creaturæ ſubjectionem non ſufficit, ſed actu, permanens quid

quid legem istam in homine esse necesse est. Et ut nunquam homo est sine conscientia habituali, si non semper actuali vigilante, ita nunquam sine lege naturæ, quæ est conscientiæ lumen; lumen recti, semenque boni, quo mediante homo videt agenda vel omittenda, norma agendorum futurum, ubi primum cognitione intellectum illustrat. Et sicut alias differunt *lex*, *& legis cognitio, judicium item secundum legem Practicum*, ita & cognitio legis naturalis, vel judicium intellectus practici, quo secundum lumen practicum insitum & legem naturæ, quid faciendum vel omittendum sit, evidenter cognoscitur & discernitur, non erit lex ipsa interior. Nec quæ, quando quid nos deceat, & facere oporteat ratiocinamur, investigare & elicere dicimur *νοήματα* practica, quę *dictamina* rationis dicuntur, leges dici possunt, quia ceu facultatis pure cognoscentis, non imperantis judicia, practice quidē dirigunt, non autem legaliter præcipiunt, quod ab eminentiori dependet principio; cum sibi propriè imperare suo judicio qua tali homo non possit; & licet Deus nos secundum illa vivere velit, nisi tamen lege præceperit, *dirigere* quidem hominem ad id quod sanctum & bonum est, non autem legaliter eidem *præcipere*, proprie dici potest. Quanquam etiam contra rectam rationem, ejusq; dictamen, rectumque intellectus judicium practi-

practicum nihil à nobis committi debeat, ne sic tamen evincitur, vel rationem ipsam, seu ratiocinandi facultatem, sive ut *Hobbes.* (e) explicat, ratiocinandi actum notet, vel actuale ejus dictamen, esse humanæ naturæ legem dicendam, cum contravenire rationi non ideo non liceat, quia ratio ita dictitat, sed propter rectitudinem, h. e. propter legem qua omnes obligamur, quam proponit. Aliud enim est ipsa ratio, aliud ejus ὀρθότης, quæ oritur à Lege naturæ, lumine illo practico intellectum dirigente. Ne ergo contra legem naturæ peccetur, quæ rationi superaddita est, eamq; illuminat & dirigit, rectæ, & à lege naturæ directæ rationi, & ejus dictamini, contraire prohibitum est. Propter legem naturæ quam ratio audit, & cum qua ratio conjungitur, quamq; eadem sequitur, non propter ipsam rationem præcise, verum est illud *Hierocles,* (f) λόγῳ ὀρθῷ πείθεσθαι καὶ Θεῷ ταυτόν ἐστι, *idem est rectæ rationi, & Deo parere.* Aliud denique est usus legis Naturalis, aliud ipsa Lex: hæc est habitus intellectui superadditus; ille consistit in ratiocinatione, judicio, aliisque intellectus circa hunc habitum actibus. *Hoc ipso,* ut cum *Becano* (g) loquamur, *quod* DEUS *dedit nobis lumen naturale, censetur promulgasse legem naturalem per modum habitus. Et quando utimur lumine naturali, i.e. quando recta ratio dictat nobis, hoc aut illud faciendum esse, tunc promulgatur nobis lex naturalis per modum actus.*

(e) de Civ. p. m. 20.

(f) in Aur. Pythag. p. 170.

(g) Theol. Schol. P. II. p. 206. n. 8.

§. 3. Multo minus II. Lex naturæ humanæ interior *ipsa vis animæ nostræ intellectiva, & facultas judicatrix* dici debet. *Rationem Cicero* (*h*) vocavit, *qua una præstamus belluis, per quam conjectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus.* Ita vero *Ludovicus Molin.* (*i*) *Legem naturæ prout nobis inest, antequam illius actum, cognitionem, & judicium habemus*, nil aliud esse dicit, quam *facultatem intellectus naturalem nobis inditam, naturali deinde rectitudine intellectus* putat *cognosci principia & conclusiones.* Sequitur *Hugo de Roy*: (*k*) *cum ratione,* inquit, *homo justitiam naturaliter insitam habet.* *Etenim* JUSTITIAM VI RATIONIS ERUIT, *atq; ejus per eam participem se reddit.* Verum cum Legis naturalis hic sit effectus, ut obliget, transgressores accuset, convictosque damnet, qui à facultate pura, cujus est dijudicare tantum, investigare & cognoscere, ejusmodi obligatio cum minis & metu conjuncta proficisci poterit? *Animus Catilinæ impurus*, teste *Sallustio* (*l*), *Diis hominibusq; infestus, neq; vigiliis, neq; quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitabat. Igitur colos ei exsanguis, fœdi modo oculi, modo tardus incessus; prorsus in facie, vultuq; vecordia inerat. Sublimiori* sane non repugnante doctiss. *Pufendorf.* (*m*) ad hæc *opus est principio.* Ratio enim quatenus talis, & per se, legaliter non jubet. Non etiam dici possunt istæ minæ esse à principiis, quæ vi rationis eruit homo

(*h*) I. de Legg. p.162.

(*i*) de I. & I. t. 6. disp. 47. f. 1701. seq.

(*k*) de eo quod Iust. p. m. 30.

(*l*) Bell. Catilin. p. m. 11.

(*m*) de I. N. G. p. 190.

mo, quippe quę humana industria potius acquisita, quam divinitus, ut legis instar sint, impressa dici debent. Nec vis obligatrix à simplici rationis disquirentis usu, sed ab authoritate superiori suos repetit natales. Taceo cautè, ut rectè scribit doctiss. *Selden.* (n) *utendum, nec temere innitendum esse, liberrimo, ac simplici solum Rationis disquirentis usu, qui adeo multiformis, atque etiam in incerto passim est positus, ut quod alteri maxime, in hac potissimum indagine, seu pro principio evidentissimo, sive pro conclusione principio non impari habitum est, id alteri, nec imparis ingenii, plane rejiciendum ac falsissimum, autem pro vero saltem non admittendum nō raro visum fuerit,* ut proinde facile quis *leges Naturæ suas opiniones facere* possit, quod de gentili tradit Philosophia *Tertullianus* (o). Instat equidem Dn. *Pufendorf.* (p) inde constare, *an dictamen aliquod rectæ, an vero pravæ rationis sit. Nimirum illa rectæ rationis dictamina, ex primis & veris principiis per bonam consequentiam deduci. Contra pravæ rationis dictamen esse ubi quis vel falsa principia ponit, vel per ἀπολλογισίαν falsas conclusiones format.* Sed hæc difficultatem non tollunt; illa enim principia cum non sint, ut ea ea quam exeminamus contendit sententia, insita formaliter, sed quod inde sequitur, acquisita, jure adhuc, unde illa certa & vera esse constet, quæritur, & unde constet de rectitudne rationis circa ea eruenda.

(n) de I.N. & G. l. 7. p. 90.

(o) de Anima. f. 641.

(p) l. c. p. 179.

§. 4. Non etiam III. ipsam *naturam nostram humanam, quatenus rationalis est*, mensura item & ratio, quare alii actus per se tali naturæ sint convenientis, ilia non convenientes, legis rationem habere dicimus, prout quidem *Vasquezio* (r) visum fuit, cui recte contradicit *Francisc. Suarez* (s) quod aliud sit ratio & mensura rei, aliud lex; necessitas corporis regula quidem est temperantiæ, nemo tamen eandem legem proprie talem, sed legis potius rationem dixerit. Indigentiam etiam pauperis, & facultatem dantis, recte rationem eleemosynæ erogandæ, non item legem ad hunc actum obligantem esse dixeris. Ita quoque ideò, quia rationales sumus, nihil quod natura nostrâ indignum est, & rationi adversatur committere, sed potius naturæ nostræ convenienter vivere nos decet, ut, cum simus animalia rationalia, etiam ex ratione, & secundum rationem agamus. τοῦτο δέ ἐστι παρὰ τοῖς ἄριστα φιλοσοφήσασιν ᾀδόμενον τέλος, τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν. γίνεται δὲ ὅταν ὁ νοῦς εἰς τὴν ἀτραπὸν τῆς ἀρετῆς ἐλθὼν, κατ' ἴχνος ὀρθοῦ λόγου βαίνει, καὶ ἕπεται Θεῷ, *hoc illud est apud eos, qui optimè philosophati sunt, decantatum ultimum bonorum, consentienter naturæ vivere. Quod fit, cum animus semitam virtutis ingrediens, per vestigia ductumq; rectæ rationis ambulat, & sequitur DEUM*, eleganter ait *Philo* (t). Non tamen interim ipsa natura nos obligare po-

(r) in I. 2. Thō. t. 2. Disput. 150. c. 3. n. 22.

(s) de Legg. l. 2. c. 5. f. 67.

(t) de Migrat. Abraham.

 rest

teſt per vim legis. Prohibet noſtra natura rationalis actiones malas non *legaliter*, ſed *realiter*, quia cum natura rationali moraliter ſunt incompoſſibiles. Suo interim modo ut verum eſt, quod, ut *Cicero* (*u*) loquitur, *non ſit quiſquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus, ad virtutem pervenire non poſſit*, legis tamen vim hoc non habet. Nervoſe Conſultiſſ. Dn. *Ziegler.* (x) *vehementer*, inquit, *dubito, utrum humana natura recte dicatur mater juris naturalis, quippe quæ potius ſubjective ſe habet, quam efficienter, & ſupra dixi, jus naturale ab Imperio venire.* Natura humana non eſt ipſa lex, ſed hominis naturæ eadem divino digito eſt inſcripta. congruum tantum *nobis* actum hunc vel illum, non vero hoc ipſo vi legali imperatum reddit naturæ noſtræ rationalitas.

(*u*) 1. de Legg. p. 162.

(*x*) Not. ad Grot. de I. B. P. p. 11.

§. 5. Cæterum ſicut ipſa natura noſtra qua *rationalis* hoc ipſo non habet rationem legis, ita nec IV. qua *ſocialis* eandem obtinebit, & quidem iiſdem de cauſis, quibus naturæ noſtræ *rationalitatem* legis rationem non habere probatum fuit; Quanquam ne hoc quidem ita ſimpliciter concedamus, quod *ſocialitas* fundamentum, & ratio per omnia legis naturalis ſit, etſi multorum ita habeat opinio, *quibus naturalis juris mater ipſa humana natura eſſe dicitur* (*y*). in quantum nimirum *ſocietatis appetitus* rationi conveniens homini inſitus eſt. Eſt equidem ea natu-

(*y*) H. Grot. Prol.

turæ nostræ ad vitam socialem inclinatio, tantosque ad hanc colendam in se sentit homo stimulos, ut nil gravius ferat, nil sibi minus congruum credat, nil etiam tristius experiatur, nil quoque magis aversetur, quam vitam agere solitariam. *Terret solitudo, & tacentes loci*, ait *Tacit.* (z) quem etiam ad vitam socialem à natura destinari non minus graviter probavit *Aristoteles* (a). Quam etsi *necessitas* & *indigentia* suadere queat. Nam *quo alio tuti sumus, quam quod mutuis juvamur officiis*, ait *Senec.* (b) *hoc uno instructior vita, contraq; incursiones subitas munitior est, beneficiorum commercio*; non tamen ab ea originem societatum ita nude repetere debuisset *Hobbes.* (c) *Nec verum est*, inquit *Cicero* (d) *quod dicitur a quibusdam propter necessitatem vitæ, quod ea, quæ natura desideraret, consequi sine aliis, atq; efficere non possemus, idcirco istam esse cum hominibus communitatem, & societatem, quod si omnia nobis, quæ ad victum cultumq; pertinent, quasi virgula divina, ut ajunt, suppeditarentur: tum optimo quisq; ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione, & scientia collocaret. Non est ita. Nam & solitudinem fugeret, & socium studij quæreret: tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere.* Hæc tamen societatis custodia humano intellectui conveniens, nec ipsa legis instar esse, vel *fons* dici, & *fundamenti loco universi juris naturalis* poni debet. Non legis vim obtinet, quia hæc ipsa ab imperio oritur, quod ipsi *sociali*-

(z) 3. Hist. 85. 5.

(a) 1. Polit. 2.

(b) de Benef. 4. 18.

(c) de Civ. c. 1. p. 6.

(d) 1. Offic. P. 32.

ri proprie non tribueris, ceu quæ legaliter homini nil præcipit, nil item sub imperio proprie tali injungit, quam etiam potius *rem* lege *præceptam*, quam *præceptum*, sive legem ipsam vocaveris.

§ 6. Id equidem non negaverim, stimulare socialis cum ratione conjunctæ vitæ desiderium ad studium honestatis, ad actionem secundum virtutem instituendam, cum, ceu divinum animal, non ad otium, sed ad agendum natus homo sit, sic ut, cum eundem vitam socialem cum aliis vivere oporteat, tales etiam edat actiones, quales societas ratione ordinata requirit.

§. 7. Verum quanquam hæc, & similia, ob socialem naturam homini sint convenientia, quanquam & ipse DEUS legis naturalis lator, leges quibus homines obligatos voluit, socialitati congruas iisdem præscripserit, ex hoc tamen non sequitur, ipsam naturam humanam, *qua socialis* est, vel vi quadam legali ad hæc & similia hominem obligare, si quis hoc affirmare velit, cum legaliter proprie seipsum nihil obliget; vel fundamentum universi juris naturæ esse, ita ut ex *socialitate*, ceu principio genuino & adæquato omnia præcepta juris naturalis deduci queant. Etsi enim hominem ita vivere deceat, ipseque ita esse congruum judicet, nisi tamen vel per expressam legem, ceu vinculum aliquod, à superiori jus & vires

res

res habente constringatur, vel per pactum aliquod teneatur, quæso quid cum effectu cohibebit eundem, quo minus insigni aliquo invitante commodo, utile honesto præferat. Sublimiori proin & efficaciori, quod firmius vinculum injiciat naturæ humanæ, ne id faciat, opus est principio. *Cupiditates*, ait Cicero (e), *sunt insatiabiles, quæ non modo singulos homines, sed universas familias evertunt, ex quibus odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur.*

(e) 1. Fin.

§. 8. Varie alias de sociali hominis natura, societatisque naturali appetitu & custodia disquiritur, an & quomodo ea lege naturali, ceu ratio universi juris naturalis sit præcepta. Vir quidam doctissimus (f), *socialem vitam pro imperio mortalibus à Numine injunctam esse, inde 1. patere, ait, quod ea sit conditione jam præditum genus humanum, ut, ni hæc persuasio firma subsistat, salvum illud existere nequeat.* Sed quanquam hoc verum sit, non tamen sufficit, cum persuasio illa, quod pro imperio vita socialis sit iniuncta, si vera & efficax esse debeat, lege quadam, quæ satis innotuit, nitatur opus sit, ut proin hæc viri doctissimi ratio necessitatem tantum legis pro vitæ socialis incolumitate ferendæ inferat, quam nos non negamus. A nuda vero alias persuasione quod aliquid necessario lege præceptum esse debeat, ad factum præceptum non licet apodicticè, & sine formidine oppositi argumentari. Tantum abest ut socia-

(f) Pufendorf. de I.N.G. p. 191.

litas credi debeat esse lege naturali præcepta, ceu principium deducendi juris naturalis adæquatum. Persuasio ista denique primo & per se non inhonestate, sed utilitate fundatur, quam etiam id quod indifferens est, non intrinsece necessario honestum, promovere potest, probatque eadem, præcepta socialitatem concernentia, utilia quidem, non item necessario honesta esse. Verum equidem est, *quod 2. in nullo animantium, præter ipsum hominem ullus religionis sensus, aut metus Numinis deprehendatur*: verum enimvero hic numinis metus, nisi aliunde obligatio homini imponatur, non adiget *per se* eundem ut vitam socialem pro imperio sibi injunctam cognoscat, cum, de quo non constat quod sit à DEO mihi pro lege præscriptum, illud nec numinis quidam metus præcise, ut pro lege cui non adversari liceat habeam, efficit. ἀποχὴν κακῶν ἐργάζεται ὁ φοβούμενος, *abstinentiam à malis operatur, is qui timet*, ait *Clemens Alexandrin.* (g) sed quæ mala ista, & à quo prohibita sint, prævia legis sufficiens cognitio docet. Superstitionis est fingere sibi divina lege præceptum, vel prohibitum aliquid, de quo nullam possis allegare legem. Sitque præterea; *tener conscientiæ sensus in animis hominum non corruptorum, quo convincuntur in legem naturæ peccando offendi illum, cui in animos hominum imperium est, & qui metuendus sit, etiam ubi*

(g) 7. stromat. f. 746.

ubi ab hominibus metus non impendeat. Iſti tamen conſcientiæ morſus nil aliud probant, quam quod divina quadam lege iſta prohibita ſint, quæ commiſſa conſcientiam ſic afflixerunt, quæ quod ſocietatem humanam turbant, ad effectum id, non ad rationem ſceleris vel peccati, qua tale eſt, pertinet. Αὐτοχειρία ſane peccatum foret, etſi vel extra omnem ſocietatem, vel ſolus in mundo, ceu ſpecies monadica, homo viveret. Lege quidem prohiberi illa, quæ ſocialem vitam tollunt, evincunt morſus conſcientiæ, ſed id per ſe & primo eſſe propter vitam ſocialem, vel ipſam vitam ſocialem propterea aut legis vice eſſe, ſi quis hoc aſſerere vellet, vel genuinum & adæquatum harum legum fundamentum, principium & rationem, ex hoc non ſequitur. Ἔστι γὰρ, ait *Ariſtot.*(h) ὃ μαντεύονταί τι πάντες, φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλοις ᾖ, μηδὲ συνθήκη· οἷον καὶ ἡ Σοφοκλέοις Ἀντιγόνη φαίνεται λέγουσα, ὅτι δίκαιον ἀπειρημένον, θάψαι τὸν Πολυνείκη, ὡς φύσει ὂν τοῦτο δίκαιον·

Οὐ γάρ τι νῦν τε κἀχθὲς, ἀλλ᾽ ἀεί ποτε
Ζῇ τοῦτο κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.

Eſt enim quoddam, quod augurantur omnes, natura commune juſtum, & injuſtum, etiamſi nulla ſocietas invicem ſit, nullaq; pactio ut Sophoclis Antigone videtur dicere, juſtum eſſe, interdictum ſepelire Polynicem, quaſi natura ſit id juſtum. Non etenim id nunc, & heri, ſed ſemper fuit. Et

(h) 1. Rhetor. c. 13.

nemo scit, unde eius ortus sit. Ubi μαντεύεσθαι, ex mente *Aristotelis* & *Platonis*, observante contra *Riccoboni* versionem non male doctissimo *Rachelio* (*i*) significat *unanimi consensu & quasi instinctu divino asserere.*

(i) Introd. in Philosoph. Moral. Arist. c. 1. p. 4.

§. 9. Est equidem *humana natura ad societatem creata, & quidem ordinatam, & duraturam*, cui proinde *imperandi, parendi, & in commune consulendi, leges fuerint praescribendae,* ut *Guilielmus Grotius* (*k*) disputat, recte etiam *Aristoteles* (*l*) (si quis hoc loco contra nos vellet uti) δοκεῖ, γὰρ, inquit, εἶναί τι δίκαιον παντὶ ἀνθρώπῳ πρὸς πάντα τὸν δυνάμενον κοινωνῆσαι νόμου καὶ συνθήκης, *unicuique homini jus quoddam esse videtur erga unumquemq., qui cum ipso legis ac foederis esse particeps potest.* Verum finem hominis, ad quem eum divina sapientia & bonitas destinavit, in quo suam felicitatem & perfectionem consequeretur, sufficienter haec non exprimunt. Verum est *Senecae* (*m*) illud; *societas nostra lapidum fornicationi simillima est; quae casura, nisi invicem obstarent; hoc ipso sustinetur,* ut proinde sicut *Plato* (*n*) olim *Archytae Tarentino* scripsit, ἕκαστος ἡμῶν οὐκ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι, οἱ γεννήσαντες τ.ὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι, *nullus nostrum sibi soli natus sit: sed ortus nostri partem sibi patria vendicet; partem parentes: partem amici*: quibus omnibus sua debemus officia: finis tamen hominis hic neque primarius, neque adaequatus dici debet.

(k) de Princip. I N. p. 6.

(l) 8. Ethic. Nicom. c. 11.

(m) Epist. 95.

(n) Epist. 9. f. 726.

bet. *Primum*, inquit, *Lactant.* (o) *officium justitiæ est, conjungi cum DEO. secundum cum homine, sed illud primum religio dicitur, hoc secundum misericordia, vel humanitas nominatur*: τῦ ἀνθρώπυ τὸ ἔργον τὸ δίκαιον *hominis proprium opus*, ait, *Clemens Alexandr.* (p) est, *ut anima ad DEUM extollatur*: & *Gregor. Nazianz.* (q) homines vocat, πεποιημένυς ἐπ' ἀγαθοῖς ἔργοις εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον τῦ πεποιηκότος, καὶ θεῦ μίμησιν *creatos propter bona opera ad opificis laudem & gloriam, Deiq; imitationem.* Imago sane DEI homini concreata, non propter socialem vitam tantum, vel præcipue nobis concessa fuit, sed divinum cultum potissimum respiciebat, cujus licet principalis pars, quę spiritualia complectebatur, penitus sit amissa, reliquiæ tamen istæ concreatarum, quondam scientiarũ & moralis rectitudinis, quæ legẽ naturæ constituunt, quin primo cultum supremi numinis, tum vero morum directionem, & vitæ socialis conservationem, eo scilicet ordine, qui est inter præcepta primæ & secundæ tabulæ Decalogi, respiciant, dubiũ non est per ea, quæ à *Paulo* (r) docentur.

(o) 6. Institut. c. 60.

(p) Stromat. 4. f. 472. seq.

(q) Orat. 39. fol. 627.

(r) Rom. I. 20. II, 14, 15 Act. 14, 15. seqq. 17, 27. seq.

§. 10. Nec ex nescio quo supercilio, hæc ceu nimis Christianè dicta, & quod Gentiles, & qui nostra non admittunt principia, ea non sint admissuri, contemni jure possunt, partim quod & doctissimi quique Patres ita contra Gentiles disputarint, partim quod ex sanæ rationis dictamine ipsi Gentiles

tiles similia fere docuerint. Τιμᾶσιν ὦ παῖ δαιμόνων χρῆναι χρεὼν, apud *Euripidem* (s). *O fili, oportet honorare Deos. Prima*, inquit *Cicero* (t) *homini cum DEO rationis est societas*, & Philosophiæ hunc esse finem olim docuit *Hierocles* (u), ut *homo DEO similis reddatur*. Finis noster est DEUS, ut ei reddamus suam majestatem, reddamus item bonitatem, illam honore, hanc amore, utramque celebratione. Unde *Epictet.* (x) τὸν ἄνθρωπον inquit, θεατὴν εἰσήγαγεν αὐτοῦ, τε καὶ τῶν ἔργων τῶν αὐτοῦ, καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτοῦ *introduxit DEUS hominem in mundum, ut inspectorem operum suorum, & non solum inspectorem; verum etiam interpretem.* Et *Seneca* (y) *bonus vir sine DEO nemo est*, & mox: *quemadmodum radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus magnus & sacer, & in hoc demissus, ut propius divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. Illinc pendet: illuc spectat ac nititur: nostris tanquam melior interest*: etsi interim non neget, *hominem sociale esse animal communi bono genitum* (z): quam etiam societatem hominis cum homine qua tali, *Cicero* (a) comendat, *ut sese non unius circumdatum mœnibus, popularem alicuius loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis agnoscat.* Qui quæso ex socialitate, ceu fundamento genuino juris naturalis, DEO debita explicabuntur? præprimis cum officia quæ sibi ipsi, & aliis homo debet, cedere debeant officiis quæ DEUS à nobis requirit.

(s) in Hippol. v. 7.
(t) I. de Legg. p. 160.
(u) in aur. Pythag.
(x) L. 1. d. diss. 6.
(y) Epist. 41.
(z) 1. de Clem. c. 3.
(a) 1. de Legg.

§. 10. Ex-

§. 11. Excipitur equidem, quod, cum religio, *quatenus ad disciplinam juris naturalis pertinet, intra Sphæram hujus vitæ terminetur; eo quoque intuitu ad socialitatem referri possit, quatenus illa societatibus hominum efficacissimum vinculum præbet* (*b*). Verum quis sit religio- (*b*) nis naturalis finis, quod illa non hujus vitæ Pufendorf. tantum felicitatem, vel primò respiciat, & præfat. de I.N.G. per se intra Sphæram ejus terminetur, *Paulus* expresse Gentiles docet, scilicet *divini numinis glorificatio*, (*b*) item (*c*) ζητεῖν τὸν Κύριον, (*b*) Rom.1,21. εἰ ἄραγε ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὕροιεν, *ut quærant* (*c*) Act.17,27. *DEUM, si forte palpent eum, & inveniant*; & licet religio in omni vita sociali ita necessaria sit, ut cum ea respublica aut cadat, aut floreat, efficacissimè illa insuper in officio tam imperantes quam parentes contineat, cum amor & timor Numinis & hos & illos ad sua impellat officia, ὑποτάγητε monet *Petrus* (*d*) (*d*) πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, διὰ τὸν Κύριον, *Subditi* 1.Epist.2.13. *estote cuivis humanæ creaturæ propter Dominum*, non tamen propterea sic ad socialitatem referri debet, ut hæc sicut universi juris naturalis fundamentum genuinum & efficax esse fingitur, ita quoque religionis, & cultus per naturam & jus naturæ DEO debiti, ratio sit: quasi ex ratione socialitatis illa proponenda foret. Non profectò ludendum est cum religione, quasi pro ratione status ea formanda esset, vel ceu medio Politico ea abuti liceret, ad terrorem simplici plebi

plebi incutiendum, *quæ ubi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis paret,* ut ait *Curtius* (e) quemadmodum & Numa apud *Livium* (f) olim *omnium primum rem, ad multitudinem imperitam, efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est*, quod & sæpius postmodum à Romanis usurpatum, notatum est à *Lipsio* (g) & *Clapmario* (h) Taceo quod religio, qua ad societatem unicè referri, & ex ratione socialitatis, vitęq; socialis conservatione formari, societatūq; efficacissimum vinculum esse debet, ex rationis sibi relictæ in rebus ad divinum cultum pertinentibus cæcæ, & hinc facile aberrantis, ductu in turpissimam degeneret idololatriam, cujus rei famosa illa πολυθέοτης gentilis testis est, quam ex ratione status introductam esse, ex historia Romana & Græca satis constat. Non ergo ex eo, qua ratione DEUM etiam per naturam colere debeas, cognosces, si quid ad socialitatem adversos alios colendam, & pacificam conservandam facit, attenderis, cum vel ex vitio seculi, vel duro & pertinaci multitudinis genio, multa permittantur, quæ in se tamen turpia sunt, ceu de *libello repudij* in Republica Ebræorum usurpato constat. *Pirata,* inquit, *Robert. Sharrock.* (i) *& conjurati latrones suas sibi habent societates, inter quas possint magnanimiter à se gesta enarrare quotidie facinora,*

(e) 4.10.9.

(f) 1. Hist. c. 19.

(g) Polit. l. 1. c. 3. 11.

(h) de Arcan. Rerumpub. l. 2. 9.

(i) de offic. secund. I. N. p. 120.

nora, & proinde isti satisfaciunt cupidini: dictaminibus autem & judiciis de honesto non satisfaciunt.

§. 12. Tantum vero abest, ut cum *Hobbesio* (k) V. à *naturali hominum ferocia*, motu isto belluino, & exorbitante naturæ humanæ corruptæ impetu, *mutuaq; se lædendi voluntate, quam in statu naturæ omnibus, etsi non ab eadem causa, inesse* ait, originem juris naturalis accersendum esse existimemus. *Homines nimirum natura æquales esse inter se*, contendit, *cum æqualia contra se invicem possint, scilicet occidere, & inde existere causam mutui metus. Inesse præterea iisdem mutuam lædendi voluntatem, ita partim necessitate res suas contra ferociam petulanter lacessentis defendendi urgente, partim etiam ambitione stimulante, qua superiorem se aliis existimans, omnia sibi soli licere vult. Contingere etiam sæpissime, ut circa eandem rem, inter se homines minus consentientes tacite erroris se invicem arguant, non sine dissidiis & contentionibus, quæ inde nascuntur. Accedere etiam appetitum plurium ad eandem rem, quæ tamen sæpissime neq; frui communiter, nec eandem dividere commode possunt, unde eandem fortiori dandam esse sequi. Quis vero fortior sit, pugna judicandum esse. habere autem quemlibet jus, ut vitam & membra, quantum potest, tueatur, utaturq; omnibus mediis, agatq; omnem actionem sine qua se non conservare potest.* Ad *naturalem hanc* addit *Hobbesius* (l) *hominum* procli-

(k) de Civ. c. 1. p. 8. Leviat. c. 13.

(l) l. c. n. 12.

proclivitatem ad se mutuo lacessendum, quam ab affectibus, præsertim vero ab inani sui æstimatione derivant, si addas jam jus omnium in omnia, quo alter jure invadit, alter jure resistit, atq; ex quo oriuntur omnium adversus omnes perpetuæ suspiciones & studium, & quam difficile sit præcavere hostes parvo numero & apparatu, cum animo nos præveniendi opprimendiq; invadentes, negari non posse, quin status hominum naturalis, antequam in societatem coiretur, Bellum fuerit, neq; hoc simpliciter, sed bellum omnium in omnes. Cum vero bellum conservationi hominum adversum sit, naturam dictare QUÆRENDAM ESSE PACEM, SI HABERI POTEST, SI HABERI *non* POTEST DEFENSIONEM, *hancq; legem naturæ* FUNDAMENTALEM *esse* dicit.

§ 13. Verum enimvero sic vel *per accidens* tantum forent juris naturalis ea, quæ talia sunt *per se*, vel *secundum quid*, quæ talia sunt *absolutè*, ex positione scilicet belluinorum motuum, & naturæ item humanæ corruptæ exorbitantis impetus, & ferocientis genii, quem tamen rectæ rationi subjici & posse & debere, constat. Cur non potius natura qua rationalis, & recta ratio, quam qua lasciviens & ferociens? Cur non recta potius, quam corrupta natura, pro ratione & fundamento habetur eorum, quæ sunt Juris Naturalis. Non primo quid recta ratio dictitet, sed quorsum naturæ nostræ corruptæ impetus feroces ruant, *Hob-*

besius

bestius spectavit, quorum illud tamen, quia humanum jus, hominique proprium, investigatum iverat, ante omnia faciendum fuerat, cum *ratio sit imperator & dux vitæ mortalium, & dux generis humani*, ut loquitur *Sallustius* (m) ad cujus judicium reliquarum facultatum motus examinandi sunt.

(m) Iug. p. m. 43.

§. 14. Cum vero dupliciter hæc considerari possint, vel ex certa hypothesi, *si nimirum*, ut ipse *Hobbes.* (n) loquitur, *consideremus homines, tanquam si essent jamjam subito è terra (fungorum more) exorti & adulti, sine omni unius ad alterum obligatione*, sine communi Domino, non distributi in imperantes, & parentes: vel sine ulla hypothesi, ut serio qualis hominum extra societatem consideratorum conditio, quo homines erga se invicem sint animo, explicetur. Si per modum hypotheseos assumantur, *tolerabilia* quidem videntur aliis, nobis vero non item, qui quocunque modo homo concipiatur, eum ceu animal rationale concipiendum esse dicimus. Est & manet animal rationale, imperiumque in ejusmodi motus belluinos habet, quos cohibere potest. Manet animal rationale, etsi variis motibus illum huc illucque rapi contingat. Manet quoque semper in statu rationali, unde rationalem, rationique rectæ consentaneum tantum, non irrationalem ei tribuere debemus. Nec licet in moralibus falsam supponere hypo-

(n) de Civ. c. 8. n. 1.

hypothesin, ex qua verum deducas. Sint itaque *æquales* etiam per omnia inter se homines, recta tamen illos ad id quod æquum & justum est, invitabit Ratio. *Prima enim æquitatis pars*, ut *Seneca* (o) ait, *est æqualitas*, quæ etiam hoc nomine à *Philone* (p) τῆς δικαιοσύνης πηγὴ dicitur. Memorabilis est vox *Solonis* apud *Plutarch.* (q) τὸ ἴσον πόλεμον ἐ ποιεῖ, *æquale non facit bellum.* Contra vero sanæ rationis dictamen accidit, si æqualitas bella movet, & *quod vinculum amoris esse debebat, seditionis atq; odij fit causa*, ut loquitur *Seneca* (r) Ex impotentia, & superbia arreptus *Pompeius indignabatur, cum omnes Cives jure haberet pares, quenquam æqualem dignitate conspicere*, apud *Vellej. Patercul.* (s) Nocendi voluntatem ex inani ambitione ortam, modestia à natura commendata cohibet. *Facillime equidem*, ait, (t) *Cicero ad res injustas impellitur, ut quisq; est altissimo animo & gloriæ cupido*; sed in statu hominis naturali formando nos semper cogitare decet, *non agi*, ut recte Dn. *Pufendorf.* (u) monet, *de statu naturali animantis, quod solo impetu & inclinationibus animæ sensitivæ regatur, sed cujus pars præcipua, & cui in cæteras facultates regimen, sit ratio. Cujus usum legitimum haud quicquam excludere, sed potius cum aliarum facultatum operatione conjungere debet, qui statum naturalem hominis est rite designaturus.* Defensio interim cum nocendi voluntate conjuncta

(o) Epist. 30.
(p) L. quis rer. divin. hær. f. 393.
(q) Solon. c. 18.
(r) de Ira. 3. 34.
(s) l. 2. c. 29. 4.
(t) 1. Offic.
(u) de I. N. G. l. 2. c. 2. n. 9.

cta contra alterum *inique ferocientem*, & insultantem, quin licita, imo & necessaria sit, non negatur; at exinde statum hominis naturalem bellum esse, inferri non debet. *Dissensus plurium circa eandem rem*, simultatem equidem inter dissentientes parere potest; non tamen illos qui sanam audiunt rationem sic afficit, ut de jure suo armis statim contendere velint, omnia prius experturi; antequam hoc ultimum, & anceps necessitatis humanæ medium adhibeant. *Appetitus* quoque *plurium* non debet esse belluinus, sed rationalis, qui jure, non viribus, sua sibi vindicare conetur. *Ius omnium in omnes* ante factam rerum divisionem temperat justitia, æquitas, & humanitatis communis consideratio. Hominē homini debere benefacere hæc dictat, cum ex unius sanguine simus orti; præcipit hæc homini prodesse hominem, *cum homines hominū causa sint generati*, prout *Cicero* (k) concludit, & ad hominum commoditates & communem usum à natura data omnia sint, quæ, ut rursum *Cicero*, (l) cujus doctissima in libris *de officiis* hac de re extat disputatio, ait, *hoc præscribit, ut homo homini, quicunque is sit, consultum velit.* *Suspiciones* denique & *metus*, cum haud raro vanæ sint, caute quidem & prudenter agendum esse monent, non vero classicum statim cani jubent. *Vespasianus* sane, teste *Suetonio*, (m) *ut suspicione aliqua, vel metu, ad perniciem cujusq; compelleretur; tantum*

(k) 1. officior.

(l) 3. offic.

(m) Vespasie. 14.

rum abfuit, ut monentibus amicis cavendum esse Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur genesin habere imperatoriam, insuper Cos. fecerit.

§. 14. Constat ex his nec VI. *motus internos, instinctum hominis naturalem, propensiones,* legem naturalem dici debere. *Fernand. Vasquius* (n) quidem legem naturalem *instinctum quendam nativum* vocat, sed si proprie loqui velimus, *juris appellationem ille non meretur*, uti B. noster ait *Bœcler.* (o) Motus istos internos, *Stoici πρῶτα κατὰ φύσιν appellarunt Ciceroni* dicuntur *prima naturæ. Simulatq;*, inquit, (p) *natum est animal, ipsum sibi conciliatur, & commendatur ad se conservandum, atq; ad suum statum, & ad ea quæ sunt conservantia ejus status diligenda: alienatur autem ab interitu, iisq; rebus, quæ interitum videntur afferre.* Alibi (q) hæc addit: *commune omnium animantium est conjunctionis appetitus, procreandi causa, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt.* Sed à juribus hæc sunt distincta. *Ius enim,* ut rursus B. noster scribit *Bœcler.* (r) *omne ad actionem pertinet, quæ rationis & electionis est; non ad inclinationem, quæ animali competit, ut est animal.* Non est in primis naturæ conciliationibus *honesta actio*, inquit *Cicero* (s) Præterea prima ista naturæ competunt homini secundum appetitum sensitivum, caduntque in eundem ut est animans, quare nec legis rationẽ habere, nec ea quæ sunt legis naturalis ad illa examinari possunt: Cumq; inter illa & recta

(n) Controv. Illustr. P. II. p.m.120.
(o) Comment. in Grot. p.153.
(p) 3. de fin. 26.
(q) 1. Offic.
(r) l.c.p.7.
(s) 3. de fin. 6.

recta ratio non raro sit pugna, hoc ipso vitiosa sæpe esse deprehenduntur. Constat hinc, quid de *Grotij* (t) Philosophia habendum sit, quando *in examinando jure naturæ primum videndum sit, quid illis initiis congruat, deinde veniendum ad illud, quod quanquam post oritur, dignius tamen est*, rectam scilicet rationem. Verum cum ista πρῶτα κατὰ φύσιν, & motus concupiscentiæ vitiosæ, à natura corrupta haud raro ferociente & lasciviente proveniant, non ipsa per se, sed recta ratio primo audienda, à cujus præscripto isti naturæ impetus non raro exorbitant, eique ceu vitiosi contranituntur. Naturæ hinc humanæ hominis rationali convenientius nobis videtur, non si, ut *Grotius* (u) opinatur, in examine ad jus naturæ instituendo, primo videatur, quid illis naturæ initiis congruat, & dein quid rationi; sed si ratio, qua sumus homines, primum audiatur, cujus est facultates sibi subordinatas dirigere, agendique modum & terminum illis prçscribere. Cum enim natura nostra sit corrupta, affectusque nostri & facultas sensitiva cœco impetu, magnaque vehementia, nisi coerceantur, ruant, fit hoc ipso, aut certe facile fieri potest, ut homo stimulis naturæ ferocientis & lascivientis jam præoccupatus, defatigatus, obstrepente ira, odio, libidine, rationem vel plane non, vel ægre audiat, vel auditam contemnat.

§. 15. Quæ si considerasset impudens iste

(t) de I. B. P. l. 2. 1.

(u) l. de I. B. & P. l. c.

K 2 Theo-

(x) Discurs. Polit. de Polyg. p. 4. *Theophilus Alethaus* (x) Polygamiæ assertor impurus, *legi naturæ & Gentium nullo modo eandem contrariam, sed potius convenientissimam esse*, non dixisset. *Videmus*, inquit, *masculum à natura ita esse comparatum, ut uno anno plures infantes procreare possit. quod una fœmina fieri non potest. Iam vero DEUS & natura nihil agunt frustra. Constat ergo hoc talentum ideo masculo esse concreditum, non ut id recondat in terra, uti Scriptura* (qua passim scopticè & impiè autor impurus abutitur) *loquitur, sed ut eo lucretur, & illi fini, cui à DEO & natura destinatum est, conservet.* Manifestum enim est ex hoc discursu, autorem de Polygamia judicare secundum id, quod corruptæ & ad peccatum pronæ naturæ præprimis est congruum, & lascivienti appetitui satisfacit, non prius audito rectæ rationis dictamine. Quam si prius in consilium adhibere, non vero secundum exorbitantem naturæ impetum, & libidinis stimulos, judicare maluisset, aliter judicasset. Nimirum maris cum fœmina conjunctio, quæ fit prolis suscipiendæ gratia, debet esse ordinata, quem ut *Salvianus* (y) loquitur, *multarum uxorum labe pollui, ut canum vel suum more*, non decet. Nec huic fini à DEO semen est destinatum, ut quocunq; modo, sed secundum castitatis leges illo mas lucretur, quas Polygamus incontinens transgreditur: Suf-

(y) l. 4. de Provid. p. m. 115

ficiat-

ficiatq; quis compluribus fœminis uno anno imprægnandis, non tamen belluino more in venerem ruere decet. Habenda est ratio finis conjugii, qui, cum pluribus fœminis vacantes minus fœcundi reddantur, hoc ipso non perfecte obtinetur. Nec denique quamcunque, sed ordinatam generis humani multiplicationem DEUS & natura intendunt; tantum abest, ut belluinus naturæ genius regulam tollat. *Tanto ardentius orandum, temperantius vivendum, patientius ferendum, quanto natura monstrosa fœdius ferocit*, ait B. *Dannhauerus*. (z) Gravis est doctissimi Patris *Clementis Alexandrini* (a) exhortatio, prolixè qualis castitas circa liberorum procreationem homini conveniat tractantis. Εἰ γὰρ, inquit, οὐδὲ τὸν δάκτυλον ὡς ἔτυχε σαλεύειν τῷ σοφῷ ὁ λόγος ἐπιτρέπει, ὡς ὁμολογοῦσιν οἱ Στωϊκοὶ, πῶς οὐχὶ πολὺ πλέον, τῷ συνουσιαστικῷ ἐπικρατητέον μορίῳ τοῖς σοφίαν διώκουσιν; ταύτῃ μοι δοκεῖ, καὶ ὠνομάσθαι αἰδοῖον, ὅτι χρὴ παντὸς μᾶλλον τούτῳ τοῦ σώματος τῷ μέρει χρῆσθαι μετὰ αἰδοῦς. ἡ γὰρ φύσις, ὥσπερ καὶ ταῖς τροφαῖς, οὕτω δὲ καὶ τοῖς κατὰ νόμον γάμοις, ὅσον οἰκεῖον καὶ χρήσιμον, καὶ εὐπρεπὲς χρῆσθαι ἐπίτρεψεν ἡμῖν. *si enim ne digitum quidem temere movere permittit Sapienti ratio, ut confitentur Stoici; quomodo non multo magis iis qui sapientiam persequuntur, in eam qua coitur particulam dominatus est obtinendus? Atque hoc quidem de causa videtur esse nominatum pudendum, quod hac corporis parte magis quam qualibet*

(z) Theol. Consc. Ti. p. 792.

(a) l. 2. Pædag. c. 10. f. 191.

libet alia cum pudore utendum sit: natura enim sicut alimentis, ita etiam legitimis nuptiis, quantum convenit, confert & decet, nobis uti permisit.

§. 16. Præter hunc instinctum homini cum brutis communem dantur propensiones eidem propriæ ad varia ista studiorum, artium, vitæque genera, quæ *indoles* alias appellantur. Pertinent huc versus *Propertij (b)*:

(b) 3 Eleg. 7.

Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis,
Naturæ sequitur semina quisque suæ.

& *Horatij (c)*:

(c) l. 2. Sat. 1.

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis: quod capitum vivunt, totidem studiorum
Millia

(d) 4. Trist. Eleg. 10.

Suum quo ad Poesin ferebatur raptum ita cecinit *Ovidius (d)*:

At mihi jam puero cœlestia sacra placebant,
Inq; suum furtim musa trahebat opus.
Sæpe pater dixit studium quid inutile tentas,
Mæonides nullas ipse reliquit opes.
Motus eram dictis totoque Helicone relicto,
Scribere conabar verba soluta modis.
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam scribere versus erat.

§. 17. Verum hæ, aliæque propensiones naturales, per se nullā inducunt obligationem, sine qua lex nunquam esse solet. Bene equidem fit, ut in addiscendis artibus, & eligendis vitæ generibus, naturalis inclina-

clinationis ratio habeatur, ut ea homo se- ctetur studia, ad quæ potissimum factus est, nec cogatur ad tale genus vitæ invita Minerva animum applicare, à quo abhorret, sed legis vim illa non obtinet, cum sæpe numero non tam ad *moralia*, quam ad *artificialia* ducat. Integras etiam nationes suos sibi mores habere, & diversis naturali propensione studiis ferri videas, de quibus eruditè *Barclai.* (*e*) egit, lex verò naturæ apud omnes est eadem: φυσικὸν δίκαιον τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν, καὶ οὐ τὸ δοκεῖν ἢ μή, *jus naturale utiq; eandem vim habet, & non quod ita videatur, vel secus*, ait *Arist.*(*f*) Instinctus deniq; isti naturales, indoles, mores ad quos sui genii impulsu homines feruntur, non unam agnoscunt causam, cum ad illorum varietatem, temperamentum, siderum influxum, natalem locum & clima cœli sub quo quis nascitur, parentes etiam, non parum conferre judicemus.

(*e*) Icon Animor.

(*f*) 5. Ethic.c.7. sec.al.c.10.

Fortes creantur fortibus,

canit Poeta.(*g*) At lex naturæ non nisi DEO suos natales & originem debet.

(*g*) Horat.4. carm.od.4.

§. 18. Multò minus VII. denique Lex illa naturæ interior nostra *voluntas* est, vel ejus *motus & appetitus*. Ex se enim cæca est potentia, neque bonum vel malum intelligit, sed ut ordinate velit, regula opus habet: ita cum nihil quoque cognoscat, vel doceat, non lex ipsa esse potest vel voluntas, vel

ejus motus. Primum equidem in homine movens est, & ab illa efficaciter est imperium superioris facultatis in inferiores, at non est ipsa lex hominis, quæ secundum Ciceronem (h) est *recti præceptio, pravique depulsio*, & sic determinata regula eorum quæ facienda & omittenda sunt, cum voluntas ex se se determinata non sit, sed libere se habeat, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem.

(h) 3. de Natur. Deor.

§. 19. Cum itaque lex hæc interior, cui humanam naturam subjacere diximus, non sit vel ipsa natura humana quatenus rationalis, vel socialis est, vel ipse intellectus, vel vis & facultas ejus dijudicativa, vel actus ejus aliquis, judicium scilicet, rationis dictamen seu dictans, seu dictatum, vel voluntas, vel motus naturales qui in nobis exoriuntur, instinctusque qui se produnt naturales, *superadditum aliquid* hisce, & naturæ humanæ esse oportet, quod *legis vim in nobis habet*, quodque rectitudinem moralem cum efficaci quadam obligatione omnibus præscribit. Ergo cum neque sit substantia, neque ex accidentibus actio, sed qualitas, & quidem non potentialis, *habituale* quid sit necesse est: cumque semper, ex quo homines esse incepimus, & sic per naturam huic simus obnoxii legi, *σύμφυτον* quoque, congenitum & connaturale quid esse oportet; ut proinde *lex hominis interior sit habi-*

tuale

tuale quid, congenitum, ipsiusq; intellectui tanquam lumen recti & semen boni superadditum, & intellectui ipsius animæ tanquam tabulæ inscriptum, hoc enim ex supra dictis ita relinquitur. Sane quod vim præcepti habet, quod cognitum impellit, instigat, obligat, quod secundum rectæ rationis dictamina vivere imperat, quod insuper perpetuo etiam infanti qui exlex non nascitur, æque ac adulto inest, quo barbari, quum vitio pravæ educationis & consuetudinis sæpe minus recte ratiocinantur, etiã non destituuntur, quod violatum minatur, pœnasque annunciat, quod non solum posito objecto naturaliter se exerit, sed & intellectui ratiocinari & cognoscere volenti ingratiis objicitur, id sane ab intellectu ejusque actu diversum quid, mentiq; nostræ à superiori principio impressum quid esse dici debet.

§. 20. *Paulus* (i) Gentium doctor *ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις Gentilium* scribit. i) Rom. 2.
Aliud ergo est secundum Apostolum Tabula cui inscriptio facta est, anima nimirum hominis intellectualis, aliud scriptura ipsa, lex scilicet, qua suam creaturam rationalem & in agendo liberam, ne exorbitet, vult supremus rerum arbiter obligatam. Insunt illæ notitiæ non solum ut scriptæ scriptione potentiali tantum, sed actuali, cum proprie possit nondum scriptum dici, quod adhuc inscribi debet; habentur enim capti-

væ in illis etiam, qui ab ineunte ætate nil boni audiverunt. *Maſſagetæ, Tibareni, Scythæ* δικαίωμα quod inhumanitatem illorum damnat, quam *Theodoretus* (*k*) deſcribit, captivum tenent, neceſſe ergo eſt, ut intus poſſideatur, & actu inſit; & ſi manifeſtæ ſunt illæ notitiæ per inſcriptionem, cognitioni per diſcurſum acquiſitæ oppoſitam, vere & actualiter impreſſum quid ſint neceſſe eſt, ſpecies ſcil. diſcrimen honeſtorum & turpium intellectui repræſentantes, pœnam à ſuperiori principio imminentem tranſgreſſoribus annunciantes, taciteque ſic hominem vi divinitus indita obligantes. Hæ ſunt κοιναὶ illæ ἔννοιαι, ἃς προσέφυσεν ὁ δημιουργὸς τῷ λογικῷ γένει πρὸς ἐπίγνωσιν αὐτοῦ. *notitiæ illæ inſitæ, quas ad ſui cognitionem rationis capaci generi opifex ipſe innaſci voluit*, ut *Hierocles* (*l*) loquitur. Eleganter in Therapeuticis doctiſſimus *Cyrenſis Epiſcopus* (*m*) ſcribit: τὰ ἠθικὰ μαθήματα πάντας ἀνθρώπους ἡ φύσις ἐπαίδευσε, διαπλάσας γάρ τοι τῶν ἀνθρώπων τὸ γένος ὁ ποιητὴς, ἐντέθεικε τῇ φύσει τὴν τῶν ἀγαθῶν καὶ τὴν τῶν ἐναντίων διάγνωσιν. ὅθεν οὐ μόνον Σωκράτης καὶ Πλάτων, καὶ Ἀριστείδης, ὁ Λυσιμάχου, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν Ἑλλήνων, τὸν ἄδικον ἐβδελύξαντο βίον, ἀλλὰ καὶ τῶν βαρβάρων πολλοί. *Moralem ſiquidem diſciplinam mortales omnes natura ipſa perdocuit. Creator enim* DEVS, *cum hominem formaſſet, naturæ indidit bonorum malorumq́; diſcretionem. Quo factum, ut non ſolum Socrates, & Pla-*

(*k*) t. 4. Opp. ſer. 9. f. 615.

(*l*) In aur. Pyt.

(*m*) t. 4. opp. ſerm. 12. f. 669.

& Plato, & Aristides Lysimachi filius, & alii quidam Graecorum, injustitiam abominati sint, sed barbarorũ etiam multi. Eleganter doctissimus Judaeus *Philo (n)* νόμος ἀψευδὴς, inquit, ὁ ὀρθὸς λόγος, οὐχ ὑπὸ τοῦ δεῖνος ἢ τοῦ δεῖνος θνητοῦ φθαρτὸς ἐν χαρτιδίοις ἢ στήλαις ἄψυχος ἀψύχοις, ἀλλ' ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἄφθαρτος ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθείς. *Est vera Lex*, ut vertit *Gelenius*, expressius *Grotius (o) mentiri nescia recta ratio, non ab hoc aut illo mortali mortalis, non in chartis aut columnis exanimis exanima, sed corrumpi nescia, quippe ab immortali natura* INSCULPTA, seu impressa, *in* IMMORTALI INTELLECTA. quae ultima verba itidem per modum habitus impressi, legem naturae homini inesse testantur. Non enim ipsa ratio, sed *rectitudo* ejus, quae est lex naturae, in intellectu expressa, & intellectui impressa rectè dicitur. Addimus verba *Chrysostom. (p)* seu quicunque sit qui illa dixit: ἐξ ἀρχῆς πλάττων ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον νόμον αὐτῷ φυσικὸν ἐγκατέθεικε. καὶ τί ποτέ ἐστι νόμος φυσικός; τὸ συνειδὸς ἡμῖν ἐνήθρωσε, καὶ αὐτοδίδακτον ἐποίησε τὴν γνῶσιν τῶν καλῶν, καὶ τῶν οὐ τοιούτων, *ab initio rerum, cum formavit hominem DEUS, ipsi* INDIDIT LEGEM NATURALEM, ergo naturae humanae aliquid à DEO superadditum sit, necesse est. *Et quid est Lex naturae? Conscientia*, cujus lumen illa est, *nobis explicavit, & ex se notam fecit notitiam rerum tum honestarum, tum earum, quae ejusmodi non sunt.*

(n) L. quod omnis prob. liber. f. 675.

(o) de I. B. p. 11.

(p) Orat. 12. ad Populi Antioch.

§. 21. Species ergo istae intelligibiles,

quae

quæ intellectui luminis practici instar in discernendis turpibus ab honestis inserviunt, non producuntur ab intellectu agente, sed à nativitate statim intellectui passivo sunt congenitæ. *Gratis* equidem alii (q). *hæc fingi facile illum deprehendere* affirmant, *qui curiosius puerorum ex infantili insitia paulatim emergentium profectus accuratius observare instituerit*; verum sicut illa, quæ ex ætatis imbecillitate, quæ usum rationis denegat, eveniunt, non possunt ipsam rationem negare, ita ex eo, quod paulatim notitiæ insitæ se exerant, non licet propterea illas negatum ire. *Quæ à plerisq; nimis presse*, prout equidem creditur, *urgetur phrasis* Rō. II. 15. *figurata quidē esse* dicitur, *ac nil aliud notare, quam liquidam altaq; mente repostam cognitionem, de qua quis in conscientia sua convictus sit, undecunq; demum eadem animo impressa sit. sicut quæ* Jerem. XVII. 1. tabulis cordium insculpta *dicuntur peccata, actualia utiq;, haut quidquam ab ipsa statim nativitate erant cognita.* Add. Luc. II. 51. Sed citra necessitatem, cum ut nostræ præconceptæ hypothesi tantum serviamus, in scripturarum explicatione ad sensum tropicum accedere non licet; unde etiam jure phrasis scripturæ *presse* urgetur, donec absurditas vera id prohibet. Assumimus dein ea quæ conceduntur, sc. verba hæc probare notitiam menti insitam, eamque liquidam, non undecunque sane, sed φύσει, & sic habitualiter animæ impressam.

(q) Pufendorf. de I. N. G. 2. 3. 13.

ſam, ὅταν ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, hoc ipſo autem quod natura, quæ legis ſunt faciunt, ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, ceu clare *Paulus* (r) docet. Unde inconvenienter locum Jeremiæ adduci per ſe patet; qui hoc tantum vult, idololatriam Judæorum animo ipſorum penitus inſediſſe, ac ſi ſtylo ferreo ac adamantino ei inſculpta eſſet, explicante D. *Hülſemanno* (s) noſtro. Quando Luc. 2. 52 dicitur, puerũ Jeſum *profeciſſe ſapientia*, ſicut id non negat omnes theſauros divinæ ſapientiæ in Chriſto reconditos, & imaginem DEI, quam à primo conceptionis ſuæ momento habuit, etſi juxta ætatis menſuram certis effectibus magis magisq; in eo radiabat; ita enim *Gregor. Nazianz.* (t) Ἐκεῖνος γὰρ Chriſtus ſc. προέκοπτε ὥσπερ ἡλικίᾳ, οὕτω δὴ καὶ σοφίᾳ καὶ χάριτι. οὐ τῷ ταῦτα λαμβάνειν αὔξησιν, τί γὰρ τοῦ ἀπ' ἀρχῆς τελείου γένοιτ' ἂν τελειότερον. ἀλλὰ τῷ κατὰ μικρὸν ταῦτα παραγυμνοῦσθαι καὶ παρεκφαίνεσθαι, *profitiebat enim ut ætate, ita etiam ſapientia & gratia: non quod hæc in illo incrementum caperent (quid enim eo, quod à principio perfectum erat, perfectius eſſe poßit) ſed quod hæc paulatim detegerentur & elucerent.* Ita quanquam notitiæ ſucceſſive ſe in dies majoribus in infantibus prodant effectibus, ab ipſa tamen nativitate non fuiſſe congenitas propterea ſtatim inferri non debet, ceu exemplum adductum declarat. Quando vero, *quod etiam in pueris & & rudi vulgo magna deprehenditur facilitas æ-*

quum

(r) Rom. 2. 14. 15.

(s) Com. h. l. p. 464.

(t) Orat. 20. f. 343.

quum ab iniquo discernendi, id ex adsuetudine provenire dicitur: *dum a teneris annis, & statim atq; usum rationis exerunt, vident bona probari, mala improbari, & illa laudem, hac pœnam sequi. Quum quotidianum exercitium, & totius vitæ communis compages ad istum modũ digesta, ita animos disponit, ut paucis dubitare subeat, an aliter ista fieri possint*; si id exclusivè debet intelligi, non admittitur. Sicut enim non ex adsuetudine tantum mali, ita quoq; nec boni reddimur, etsi in corrumpendis, vel corrigendis & excolendis hominum animis ejus magna vis sit, ut proinde etiã altera natura dici soleat, συμφοιτηταὶ τὰς ἐπιεικεστάτας φύσεις ἱκανοὶ διαφθείρειν εἰσὶ, *condiscipuli satis habent virium ad corrum-*

(u) T.1.Opp.de Puer.Ed. f.13.

pendum vel optima ingenia, ait *Plutarch.* (u) unde cum *Dionis filio puero, priusquam pubes esset, scorta adducerentur: vino epulisq; obrueretur, neq; ullum tempus sobrio relinqueretur. Is usq; eo vitæ statum commutatum ferre non potuit, postquam in patriam rediit pater, (nam appositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent) ut se è superiore parte ædium dejecerit* (x).

(x Nep. Dion. 4. 4. seq.

Assuetudinem quoque ad virtutes homines formare, bonumque iisdem sensum imbuere, non minus constat, & *Plutarcho* (y) eleganter tractatum est, aliisq; sapientibus monitum: εὔπλαστον γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης, καὶ ταῖς τούτων ψυχαῖς ἁπαλαῖς ἔτι τὰ μαθήματα ἐντήκεται, *est pueritia ob mollitiem effictu facilis, animisq; puerorum teneris, etiamnum facile insidet, quod discunt*, ut loquitur *Plutarchus* (z). Notitia honestorum & turpi-

(y) de Puer. Educ.

(z) l.c.f.3.

turpium quæ assuetudine tantũ & imitatione acquiritur, in animis hominum, præsertim nulli pœnæ civili obnoxiorũ, ejusmodi obligationem cuius tacitum in se sensum habeant ex se non inducit; nec nudæ consuetudini, moribusq; receptis, conscientia accusans, invitans, damnans eos etiam qui aufugerunt, alibi tuti vivunt, & quorum soli Deo nota sunt scelera, laudans item & excusans benefacientes, sed superiori principio DEO sc. suos debet natales, & originem, qui ut in tabulis Mosis Decalogum, ita in tabulis cordis opus legis naturalis digito divino expressit. *Quis*, inquit, hinc *Augustin.* (a) *in cordibus hominum naturalem legem nisi DEVS ipse scribit, idq; ad normam legis æternæ, cujus hæc lex quædam est participatio & ratio.* Et *Cicero* (b) ex sententia *Platonis*: *Nec vero*, ait, *fieri ullo modo posse, ut à pueris tot rerum, atq; tantarũ insitas, & quasi consignatas in animis notitias, quas ἐννοίας vocant, haberemus, nisi animus antequam corpus intrasset, in rerum cognitione viguisset.* vera falsis, ut Christiana Philosophia docet, miscens.

(a) l. 2. de serm. Domin. in mort. c. 9.

(b) 1. Tuscul. p. 160.

§. 22. Manet igitur Legem naturæ intellectui humano superadditum quid esse, quod eidem congenitum lumen recti existit, semenque boni, repræsentans discrimen honestorum & turpium. Hic vero supervacuũ esse existimamus vel postulare, vel ad postulatum velle definire, quænam regulæ practicæ formaliter sint in mente nostra expres-

expressæ, & quænam per consequentiam proximam ex impressis eliciantur. Satis est, quod propositiones discrimen honestorum & turpium insinuantes ita in intellectu radient, ut homo tacito obligationis sensu divinum in se imperium, suumque agnoscere teneatur obsequium. Qui secundum disciplinam Christianorum hoc opus legis in cordibus hominum scriptum explicatius, quid sit? eloqui cupiunt, ad reliquias imaginis divinæ illud referunt, non quidem in quantum ea *stylo biblico* sola spiritualia complectitur, sic enim penitus periit, sed *usu Ecclesiastico*, quo sensu aliqua rudera imaginis divinæ libenter concedit doctissima de *Imagine DEI* tractatio Dn. D. *Sebastian. Schmidii* (c) nostri. Etsi vero non omnibus hæc placeant quæ de imagine DEI amissâ disputantur, *Arminianis* & *Socinianis*, tamen ad rem ipsam, quod lex naturæ sit aliquid menti humanæ superadditum & insitum, hoc nil facit, cum hæc sententia stare possit, seu illa quæ de imagine DEI in quæstionem veniunt probentur, seu improbentur. Putoque hanc Philosophiā, quod sc. lex naturæ sit aliquid in homine, per quod similis sit aliqualiter DEO, & qui secundum legem hanc vivunt, Deum sequantur, omnes admissuros esse homines, quamcunque circa divina habeant persuasionem. Sanctus est Deus etiam Gentilium confessione: quod enim furta & adulteria Diis suis tribuerint poetæ, ipse *Seneca* (d) ceu *impia* & sacrilega in illis taxat mendacia: *sic vestras*, inquit, *fero hallucinationes, quemadmodum Iupiter optimus maximus ineptias poëtarum: quorum alius illi alas imposuit, alius cornua: alius adulterum illum induxit & abnoctantem: alius æquū in Deos, alius iniquū in homines, alius raptorem ingenuorum corruptoremq; & cognatorum quidem: alius parricidam & regni alieni paterniq; expugnatorem. Quibus nihil aliud actum est, quàm ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales Deos credidissent.* Cumque lex naturæ ceu rivulus, eminentem sanctitatem DEI essentialem, aliquatenus exhibeat, ipsi hinc Gentiles *Deo similes, Deumq; sequi* dixerunt illos, qui secundum virtutem & Legem naturæ vitam suam formare instituunt.

(c) p. 425.

(d) de Vit. beat. c. 26.

ART.

ARTICULUS VI.

De

Promulgatione atque Cognitione Præceptorum Legis Naturalis.

§. 1.

ITa ergo ſuperadditum à DEO Legislatore & Moderatore totius Univerſitatis provido naturæ humanę, intellectuiq; congenitum, & ad legem DEI æternam, in quantum ea hominem reſpicit ejusque naturam rationalem & ſocialem, aliquid expreſſum, Lex eſt naturæ. Cæterum cum nullum jus vim ſuam in animis eorum quibus fertur exerere, & cum effectu obligare poſſit, niſi promulgatum, & per promulgationem illis, ad quos pertinet, cognitum fuerit, *Quomodo leges naturales nobis innoteſcant*, jam exponendum eſt.

§. 2. Promulgatio legis ut recte ſe habeat, neceſſe eſt ut fiat ab illo, vel ejus nomine, qui jus ferendi legem habet, & ut perſpicue proponatur, quo ejus ſententia recte percipiatur. Ita ſicut DEUS eſt Legis naturalis Autor, qui eam implantavit naturæ noſtræ; ſic ipſe quoque ceu verus Legislator eandem promulgavit, id quod factum eſt, cum hominem creans ejus animo concrearet leges iſtas, quæ intellectui

objectæ & cognitæ sui officii hominem admonerent. Exerit vero se hæc promulgatio, venitque hæc lex promulgata in cognitionem hominis, qui illam sequi tenetur, *per usum rationis, & Conscientiam.* In Conscientia enim DEUS & homo conjunguntur, ibique divinam Creatoris sui creatura audit legem, mediante rationis usu vim suam exerentem. Per hanc etiam contingit & apparet illa subordinatio, quæ inter suprepremum Numen & mortalium genus intercedit.

§. 3. Leges itaque naturales sicut DEUM habent Autorem, sic ab eodem legum harum fit promulgatio, idque vel *per naturam*, vel *actu aliquo externo* in sensus incurrente, sicut in monte Sinai in Decalogo repetitæ & solenniter promulgatæ fuerunt. Posterior ratio uti manifesta, & proin non hujus nunc loci est & instituti, ita quomodo *per naturam* harum legum promulgatio fiat, discutiemus. Factam hanc dicimus *primo* universo generi humano in primis parentibus, ceu radice, quibus Autor generis humani illam implantaverat, & fieri *deinde* adhuc hodie, quoties singulis hominibus practica hæc principia & leges connascuntur, ita ut recens natis infantibus illæ jam insint. Sicut enim nullus homo exlex respectu DEI esse potest, ita nec infans, quippe qui à nativitate suis jam legibus tenetur,

quæ

quæ suo tempore ei erunt observandæ: absolvitur autem hæc promulgatio, & perfecta redditur, per usum rationis & dictamen conscientiæ. Etsi vero homo ubi nascitur, actu nondum cognoscat, ceu quas nondum intelligit, leges, promulgationem tamen vel nondum factam, vel hominem recens natum per leges has non obligari, dici nequit. Penitus enim infantes ignorare non possunt dici leges has, ceu quas habitu cognitas habent, etsi ista cognitio se nondum exerat, ex quo sequitur, quod non sint penitus sine obligatione sc. habituali.

§. 4. Cæterum cum, ut *Franc. Suarez.* (a) non male distinguit, *promulgatio legis ab ejus divulgatione diversum quid sit, cum illa notet publicam propositionem, seu denunciationem legis, quæ fit aut voce præconis, aut affigendo legem scriptam in publico loco, aut alio simili modo, hæc vero sit applicatio illius primæ promulgationis ad notitiam, vel aures subditorum absentium,* (imo & præsentium) *qui aut legere aut audire primam illam promulgationem non potuerunt*, quanquam per hanc illa perfecta reddatur, ita cum ipsa promulgatio legum naturalium per naturam fiat per hoc, quod cuilibet eæ sint connatæ statim quando nascitur homini, applicationem hujus primæ promulgationis ad notitiam actualem hominis, qui primam illam promulgationem ob imbecillitatem rationis nondum intelligere potuit, fieri dicimus

(a) de Legg. l. 3. c. 16. n. 3. f. 152.

per usum rationis, & dictamen Conscientiæ.

§. 5. Conscientia hæc, quam ab ipso DEO accepimus, quæ ut *Cicero* (*b*) loquitur, *divelli à nobis non potest*, medias quasi partes inter DEUM & homines agit, divinam nobis voluntatem & legis æternæ placita insinuans, ita ut DEI loco in mente hominis sit, Deumq; in ipsa conscientia nos venerari deceat, quo nomine etiã *Menander* ait: *βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις Θεὸς*, *mortalibus cunctis sua cuiq; conscientia DEUS est.* Eleganter *Robert. Sandersonus* Anglus (*c*) *Is*, inquit, *est status naturalis conscientiæ, ut medio quodam inter utrumq; loco sit posita: infra DEUM quidem, at supra hominem, DEO subdita, ut ministra; homini præposita, ut Domina*: priore ratione obligatur DEO, cogiturque se Divinæ conformare voluntati, ceu normæ suæ; posteriori respectu obligat ipsos homines, quid faciendum sit illis dictitat, illorumque actus ceu norma dirigit, ceu *corrector affectuum, & animo pædagogus*, uti appellatur ab *Origine* (*d*). Habet nimirum DEUS, isque solus, directum etiam in conscientias hominum imperium, quibus quæ probent, quæque improbent, præscribere potest, sic ut extra DEUM nemo debeat, vel possit, cujusquam hominis conscientiæ legem per se obligantem imponere, tantum abest ut illa præcipiantur ut sequatur, quæ lumini ipsius sunt adversa. Pro hoc suo

(*b*) Pro Cluent.

(*c*) de Consc. p.m.48.

(*d*) Explan. Ep. Rom. c. 2.

quod

quod DEUS in conſcientiam humanam habet imperio, obligat eandem ſibi, hæc vero hominem ad obſequium, minaturque illis qui conſcientiæ dictamina tranſgrediuntur. *Magna* hinc *eſt* jure *Ciceroni* (e) deprædicata *conſcientiæ vis in utramq; partem, ut neq; timeant illi qui nihil admiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccaverunt.* (e) Pro Mil.

§. 6. Duplex enim recte dicitur eſſe Conſcientiæ obligatio, *activa* altera, quę alios obligat, altera *paſſiva* quæ alterius obligatione tenetur, hac ſubeſt Deo, illa ſibi ſubjicit hominem; hæc oritur ex imperio DEI in conſcientiam; illa ex eo, quod DEUS conſcientiæ humanæ legem ſuam, legem nimirum naturæ impreſſit, & per eandem hominibus promulgat, eosque ſibi obligat. *Sicut enim*, ut non male rurſus ſcribit *Robert. Sanderſon*, (f), *in foro externo ſubditos ad obediendum obligat proprie & formaliter non lex ipſa, ſed poteſtas Legislatoris: Sic & in foro interno conſcientiam proprie obligat, non regula ſeu lex ei impoſita, ſed poteſtas & auctoritas imponentis.* (f) l.c.p.143.

§. 7. DEUS itaque ſupremus Rex, moderator optimus & ſapientiſſimus, cum hominem ſecundum ſuam bonitatem, ſanctitatem, ſapientiam & juſtitiam gubernare conſtituiſſet, ſine lege eundem relinquere non potuit. Quare conſcientiam ei implantavit, notitiamque honeſtorum & turpium legalem inſevit, & ſic voluntatem ſuam eidem manifeſtavit. Duplex vero eſt hæc nobis

impressa notitia: altera concernit notitiam honestorum & turpium; altera est notitia mali, quod illos manet, qui huic notitiæ contraire sustinent, docetque notitias has boni naturales non nude speculativas vel directivas esse, sed legis vim habere, tenerique hominem ad obsequium.

§. 8. *Vis legum* vulgo duplex dicitur, *directiva & coactiva*: eandem etiam habent leges naturales. ab illa est notitia discriminis honestorum & turpium, istaque faciendi hæc omittendi dictamen; ab hac provenit notitia pœnæ, quæ transgressores manet, tacitaq; illa quam moratiores, quique non ex consuetudine scelera comittunt, in se sentiunt à sceleratis actibus revocatio atq; minæ. Deum ceu Legislatorem, & cum imperio præcipientem, cum hac notitia conjunctum esse recte infertur, qui cognitioni honestorum & turpium, simul addidit notitiam pœnæ sceleratis inferendæ. Nam quod hunc actum pœna natutaliter maneat, id ex se intellectus humanus ignorat; jam autem de Gentilibus *Paulus* (g) testatur, quod hoc δικαίωμα τοῦ Θεοῦ noverint, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα (scelera v. 26. 27. enumerata) πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εἰσίν. Utraque vis homini innotescit per συντήρησιν *actualem*, quæ est normæ juxta quam homini agendum, & sic legis naturalis quoque apprehensio & cognitio.

(g) Rom. 1. 32

§. 9. Indidit DEUS sicut brutis suum instinctum naturalem, ita hominibus habitua-

tualem συντήρησιν, lumen recti, & semen boni practici non secundæ tantum, sed & primæ tabulæ Decalogi. Quibus licet homo aliqualiter DEO similis reddatur, ut proinde ista boni moralis semina ad reliquias imaginis Divinæ hinc referri soleant, ad ipsam tamen humanam naturam pertinent, ut homines, cum non bestiarum more divagari, sed socialem vitam agere, & communitatem quandam constituere debeant, regulam quam sequantur, & jus quo inter se obligentur, habeant. Exerit hæc se, & quid DEUS ab homine per naturam fieri velit, eidem perfecte innotescit, redditurque συντήρησις quæ habitualis, actualis per hoc, quando intellectus id, quod ipsi inexistens legis vim habet, apprehendit & cognoscit, id quod fit per *usum rationis*. Tria enim hic distincte circa legum naturalium promulgationem concipi debent, quod nimirum aliud sit *intellectus*, aliud *Lex ei inscripta*, aliud *legis scientia*. Intellectus etsi non sit *tabula* penitus *rasa*, uti quidem videtur *Aristoteli* (h), est tamen tabula cui lex naturæ inscripta est. Hæc, licet insita, objectum est intellectus practice cognoscentis, circa quod ille versatur, ut illa principia morum cognoscat, & ex illis circa bonum & malum regulas & conclusiones deducat, de quibus ut est in mente scientia, ita etiam scientiæ hujus reflexio, h.e. conscientia. Sicut enim *corpus solis*

(h) 3. de Anima c. 4.

lis radiis expositum non potest esse sine umbra ; *ita nec homo lumine naturali*, lege sc. naturali, *præditus sine conscientia*, uti *Ioh. Iacson* (*i*) explicat. Cum enim naturaliter quoq; intellectui insit σύνεσις, *perspicacia* quædam, cujus secundum *Aristot.* (*k*) est κρίνειν περὶ τούτων, περὶ ὧν ἡ φρόνησίς ἐστιν, *judicare de illis, de quibus est prudentia,* fieri non potest, quin cognita regula juxta quam agendum, hanc quoque ad actus suos, quos itidem novit, quique isti conformes esse debent, applicet, & necessario inde, quid se facere vel omittere deceat, concludat, malūq; pœnale se manere, nisi id fecerit, sciat.

(*i*) de consciēt. p. m. 7.

(*k*) 6. Eth. c. 10. al. 11.

§ 10. Applicat itaque lumen suum, quod intellectui inest, & ad συντήρησιν pertinet, leges sc. naturales, conscientia actuosa ad actus particulares morales, & ita promulgatio legis hujus Divinæ ceu facta innotescit homini, & denique perficitur, *per discursum rationis* quo universalia singularibus connectuntur. Cum vero aliud sit ratio, ut nimirū ipsam ratiocinandi facultatem notat, aliud *rationis rectitudo*, nec item omnis rationis discursus errore careat, explicatius aliquanto quomodo per rationem præcepta legis naturalis innotescant, & cognosci possit aliquid esse Juris naturalis, exponendum est. Usus rationis in quo consistat, *Plutarch.* (*l*) ita explicat: τῆς ὑπάρξεως τῶν πραγμάτων ἔχει καὶ τὰ θηρία γνῶσιν, ἀκολούθου δὲ θεωρίαν καὶ κρίσιν, ἀνθρώπῳ μόνον παρέδωκεν ἡ φύσις, ὅτι γὰρ ἡμέρα ἐστὶ καὶ φῶς ἐστι καὶ αἰσθάνονται δὴ

(*l*) Tom. 2. f. 386. seq.

τοῦ

ται καὶ λύκοι, καὶ κύνες, καὶ ὄρνιθες· ὅτι δὲ εἰ ἡμέρα φῶς ἐστιν, οὐδὲν ἄλλο συνίησι, πλὴν ἄνθρωπος, ἡγουμένου καὶ λήγοντος, ἐμφάσεώς τε καὶ συναρτήσεως τούτων πρὸς ἄλληλα καὶ σχέσεως, καὶ διαφορᾶς μόνος ἔχων ἔννοιαν, ἐξ ὧν αἱ ἀποδείξεις τὴν κυριωτάτην ἀρχὴν λαμβάνουσιν. *Bruta rerum substantia habent cognitionem: considerationem autem & judicium consequentiæ soli homini natura dedit. Esse enim diem, esse lucem, sentiunt nimirum & lupi, & canes, & aves, quod autem, si lux est, dies sit, nullum excepto homine animal intelligit. Solus enim homo antecedentis & consequentis, & significationis horum atq; connexionis, mutuiq; respectus & discriminis notionem percipit, ex qua demonstrationum petitur principium.* Infert nimirum rationis usus apprehensionem omnium intelligibilium, tam singularium quam universalium, tam illorum quæ ab extra intellectui per sensus objiciuntur, quam quæ intellectui passivo congenita sunt, estq; ea naturalis, sicut aliter res, earumq; bonitatem & malitiam apprehendere non possimus, atq; illarum imagines intellectui sunt objectæ, etsi id possimus & debeamus etiam operam dare ut dissipatis obscuritatis nebulis, quam accurate, distincte & perspicue fieri possit, res intellectui objiciantur. Hanc sequitur judicium, quod tale est qualis apprehensio. Nimirum si rationes bonitatis & malitiæ moralis bene fuerint per apprehensionem cognitæ, feliciter illas inter se intellectus conferre, expendere, & quale quid sit, vel

quando, & quomodo aliquid agendum, judicare poteſt. Præcipuus rationis uſus conſiſtit in diſcurſu, qui ad ſingularia deſcendendo, illa per ſubſumtionem ad univerſalia applicat, & varias inde elicit concluſiones. Hoc potiſſimum nomine dicitur à Cicerone (m) *homo animal providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij.*

§. 11. Cæterum cum homo apprehendendo, judicando, & per diſcurſum ad particularia deſcendendo haud raro aberret, & vero ea quæ in Lege naturali ſunt præcepta, nonniſi per rationis uſum innoteſcere poſſint, *an & unde rationis rectitudo ſit*, diſquirendum eſt. Dari rationis rectitudinem uſq; eo verum eſt, ut niſi hoc aſſertum velimus, illud quoq; falſum appellari neceſſe ſit, quod nullam dari rectam rationem dicitur, vel quod homo ſit animal rationale. *Rationem Deus conceßit*, ait *Maximus Tyrius*, (n) cui proinde ἡγεμὼν *dux vitæ* dicitur, (o) Θεῖος ἡγεμὼν τοῦ βίου, *Divinus vitæ ductor Plutarch.* (p) *Ratio* DEI *res eſt* etiam Patribus *Tertulliano* (q), *Iuſtin. Martyri* (r), aliis. unde etiam *Gregorio Nazianzeno* (s) *lex* dicitur *communis*, item *Iudæo Philoni*: (t) recta ergo ſit neceſſe eſt. At unde hæc rectitudo? Diſſentiunt Viri doctiſſimi. *Pro certo ſtatuendũ eſſe* contendit Dn. *Pufend.* (u) *& in ipſa facultate apprehenſiva & in judicio, naturalem eſſe rectitudinem, qua debita adhibita attentione nos decipi circa res morales non patiatur.*

m) 1. Leg.

(n) Diſſert. 10.

(o) Diſſert. 37.

p) de Audit. l. 2. f. 37.

q) de Pœnit. f. 477.

r) Apol. 1. f. 40.

s) Orat. 34. f. 548.

t) de temul. f. 203.

u) Iur. Nat. l. G, 1, 3, 3.

quod

quod adeo verum esse dicitur, *ut nisi omnem actionum moralitatem velimus evertere, omnino tenendum sit, intellectum hominis naturaliter esse rectum, & præmissa debita inquisitione res objectas liquido & prout in se sunt, apprehendere.* Alii contra affirmant rationis rectitudinem non connasci nobis sicut ipsa ratio connascitur, sed demum industria comparari. Placet nobis cum *Pufend.* rectitudinem rationis quoad res morales naturalem quidem asserere, sic tamen ut illam non à ratione ipsa, sed à Lege naturali, congenitoq; isto & insito lumine naturali practico provenire dicamus, quod illi non placet. Nimirum sicut studio, experientia, visu audituque comparata cognitio luminis instar est intellectui in suis operationibus, vel sicut artis alicujus cognitio rectitudinem intellectui effectivo conciliat; ita quoque lumen veri semenque boni insitum illustrat intellectum practicum, conciliatque eidem rectitudinem moralem in rebus agendis, ut quid in vita sequi, quid fugere conveniat, recte judicare & ratiocinari possit. Quare vero sic statuamus, ex supra dictis constat, quo etiam admisso, *moralitas actionum*, de qua *Pufend.* solicitus est, salvatur.

§. 12. Etsi vero rationis usus recte se habens proveniat à rectitudine rationis, hæc vero à connaturali isto lumine, quod intellectui præsens sic in illo radiat, ut ea quæ à præceptis istis naturalibus vel præcipiuntur

tur vel prohibentur, facile cognosci queant; adjuvatur tamen hic rationis discursus, præcipue quando à communissimis istis atque universalibus ad specialiora & particularia descendendum est, non parum per *prudentiam*. Sicut enim habitus theoretici adjuvant usum rationis theoreticæ; ita prudentia adjuvat usum rationis practicæ. Quam proinde non imerito *Plato* (x) dixit esse *δύναμιν ποιητικὴν καθ' αὑτὴν τῆς ἀνθρώπου εὐδαιμονίας, ἐπιστήμην ἀγαθῶν καὶ κακῶν. ἐπιστήμην ποιητικὴν εὐδαιμονίας· διάθεσιν καθ' ἣν κρίνομεν τί πρακτέον, καὶ τί οὐ πρακτέον, Vim quæ per se homini felicitatem comparat : Scientiam rerum bonarum & malarum : Scientiam quæ dat felicitatem : habitum quo judicamus quid faciendum sit, & quid fugiendum.* Jure autem *Philo* (y) *ὄψιν τῆς διανοίας, visum mentis appellavit.* Quemadmodum itaque in observandis, vel etiam explicandis Legibus civilibus vir prudens accurate observat, num sine exceptione, an vero limitate, num sub certis tantum circumstantiis, an vero simpliciter aliquid præcipiatur, vel prohibeatur; ita quoque prudentia intellectum perficit, ut legibus naturalibus recte uti, illas intelligere, & quo sensu illæ sint promulgatæ, dijudicare possit. *Quamvis enim generatim hæ leges in animo hominis promulgentur, Parentibus esse obediendum, Magistratibus esse parendum, Depositum esse reddendum; si tamen vel isti quid iniquum, & DEO adver-*

(x) Defin. fol. 748.

(y) de Abrah. f. 280.

adversum jusserint, aut furiosus gladium depositum repetierit, recta ratio promulgationem istarum legum pro re nata limitat, restringit, eique juris naturalis conditiones inserit, quæ sunt tales, ut istis parendum sit, si non injusta præceperint, & ut quodvis depositum sit reddendum, si nemo eo ad alterius injuriam sit abusurus, bene ait doctissimus *Rachelius* (z). Universalia itaque Legis naturalis principia ubi particularibus negotiis vitæ humanæ & actibus recte quis & prudenter applicare noverit, quid Jure naturali prohibeatur & præcipiatur, cognoscet.

(z) Dissert. I. N. & G. p. 73.

§. 13. Nimirum si quando naturalis agendorum & omittendorum notitia, præsenti objecto, studio & experientia excitatur, sicut sopitæ sub cineribus scintillulæ præsenti combustibili exardescunt, & exiguo halitu sufflata lucere incipiunt, si inquam, cum illa conjungitur σύνεσις recte intelligendi & judicandi de negotiis, actibus, & præceptis moralibus secundum omnes circumstantias, dexteritas item quædam, seu ut *Aristotel.* (a) loquitur: δεινότης τοιαύτη, ὥστε τὰ πρὸς τὸν ὑποτεθέντα σκοπὸν συντείνοντα, δύνασθαι ταῦτα πράττειν καὶ τυγχάνειν αὐτῶν, *ea quæ ad suppositum scopum conducunt agendi atque assequendi*, quæ doctrina, bonarum literarum cognitione, & experientia seu usu multiplici munita est, quin quid etiam circa singularia jus naturæ definiat cognosci possit, dubium non est. Hæc vero cum non in

(a) VI. Eth. 12.

omnes

omnes cadant, cum non omnibus eadem naturæ bonitas obtigerit, cumq; inæquales etiam in consequendo prudentiæ habitu sint profectus, circa ea quæ sunt juris naturalis diversas quoq; hominū esse sententias, compluresq; à principiis potissimū suis longius distantes conclusiones, quales sint, ignorari, doctioribus etiam potissimum hæc, quam rudi vulgo innotescere, mirum non est. Recte scribit Rachelius (b): *Si quis animum recte advertat, facile intelliget promulgationis dari gradus atq; progressus, initio exiguos atq; infirmos, quos paulatim promovebit & stabiliet homo si bonam indolem fuerit nactus, eiq; cultura doctrinæ, & sedula assuefactio accesserit; tunc enim in cognoscendis legibus naturalibus felicissime adsurgere, & solidam certamq; earum notitiam & adsensum sibi comparare potest.* Accedunt variæ opiniones, consuetudines, mores seculi, Gentium leges & placita, aliaque impedimenta, quæ rem dilucidatu alias satis difficilem adhuc magis reddunt intricatam.

(b) del. N. p. 74.

§. 14. Cæterum ut prudenter declaretur quid juris naturalis sit, & num sub lege naturali actus aliquis comprehendatur, actuum objecta, & quibus sunt vestita circumstantiæ, probe considerari debent. Præcipit enim Lex naturæ ea, quæ sunt intrinsece bona, prohibetq; ea quæ sunt intrinsece mala, hoc autē actus ut aliquis moralis talis sit, cum ab objecto ejusdem proveniat, pro-

ut

ut nimirum ex propria sua & intrinseca ratione morali, actum aliquem ejusq; in se tendentiam, ceu sibi convenientem & inconvenientem immutabiliter respicit; judicaturus hinc num actus jure naturali prohibitus vel præceptus sit, *objectum* quoq; circa quod versatur considerare debet, quomodo illud sehabeat, qualisve ei insit ratio moralis, qualemq; sub illa conditione partim ad actũ hominis habeat convenientiam vel inconvenientiã, partim etiam reflexe ad objectũ ipsum, num hoc vel illud cum illo fieri, vel ei accidere, sit eidem quoque congruum, necne. Et cum ob objecta actuũ, circumstantiasq; etiam, quibus illa haud raro sunt vestita, leges sæpius ferantur, certum quoq; est in investigando illo quod lege aliqua est præceptum & prohibitum, posse & actus alicujus objectum, & circumstantias perpendi, id quod in cognoscendis illis quæ sunt Juris naturalis potissimum locum habet. Nam, ut recte *Ludov. Molina* (c) disputat, *obligatio Iuris naturalis oritur à natura objecti, & sese diffundit in præceptum; sicut è contrario obligatio Iuris positivi oritur à præcepto, & sese diffundit in objectum.* Multum etiam cum pendeant actus in honestate & malitia positi ex circumstantiis, & opportunitatibus operandi, aliique illorum plures, alii pauciores requirant conditiones, ideo, ut recte monet *Franc. Suarez,* (d) *ad intelligendum verum sensum natura-*

(c) de I.& I. t.1. disp.3. n.2.

(d) de Legg. l.2. c.100.

naturalis præcepti, necesse est inquirere conditiones & circumstantias, cum quibus actus ille secundum se malus est, vel bonus, diciturque hoc eidem, *interpretari præceptum naturale quoad verum sensum ejus.* Talis rei quando facta est explicatio, tum vere quid lex naturæ præcipiat vel prohibeat, audiri & cognosci potest. Monet hoc doctissimi *Hugonis Grotii* frater doctissimus *Guilielmus* (e): *Nunquam*, inquiens, *tota auditur lex naturalis, nisi addideris omnes ejus exceptiones, quibus additis nihil ei deesse videbimus.*

(e) de Princ. I. N. cap. 3. n. 11.

§. 15. Est vero objectum Legis naturalis aliud *reale*, aliud *personale*: hoc DEUS, proximus, & propria cujusvis est persona, illud omne πρακτόν. Alia hic sunt præcepta Juris naturalis, quæ dirigunt & obligant mortales ad cultum DEO debitum exhibendum, non ob rationē societatis præcise, sed antecedenter ad omnem respectum societatis, cum supremum rerum arbitrum ob essentiæ suæ eminentissimam eminentiam, tanquam conditorem, Benefactorem & Dominum venerari debeamus. Non male *Hierocles* (f) ait: ἡ προσφερομένων πολυτέλεια τιμὴ εἰς Θεὸν οὐ γίνεται, εἰ μὴ μετὰ τοῦ ἐνθέου φρονήματος προσάγοιτο. *Ipsa oblationum profusio honori DEO non cedit, si averso à Divinitate animo offeratur.* Hujus supremi Numinis natura, attributa & operationes, cum per naturam nobis innotescant, quid per jus naturæ propterea eidem debeamus,

(f) in aur. Pythag. p. 25.

mus. itidem lumen naturæ docet, ſc. ut *Paulus* (g) docet, *Glorificationem*, ut, quia eſt ſupremum, illud colamus, quia eſt unum, vitemus Idololatriam, quia optimum, illud amemus, quia eſt juſtum, timeamus, & quia Dominus Legislatorque ſupremus, ei obtemperemus. Prolixius hæc tractat *Guiliel. Grotius* (h) qui etiam oſtendit (i) *quomodo ex attributis DEI fundamenta ſua ſumant priora Tabulæ primæ Decalogi præcepta*: inprimis autem eruditè & piè hoc præſtitit doctiſſima tractatio Dn. D. *Bebelii* noſtri (k). Et rectè. Cum enim divinus cultus divinæ reſpondere debeat eſſentiæ, ejusque perfectioni & eminentiæ, ex divini Numinis pia conſideratione potius, quam ſocialis vitæ intuitu, quid DEO debeamus cognoſci debet, & tantum etiam poteſt. Non ſane ex ſocialis vitæ, ſed Numinis ipſius conſideratione *Numa*, ſuperſtitioſus licet alias, quique religione ceu medio politico benè uti noverat, *vetuit Romanis hominis vel beſtiæ formam DEO tribuere* (l). Priſci etiam Germani, barbari licet, & de vitæ ſocialis ſtatu non multum ſoliciti, teſte *Tacito* (m), *nec cohibere parietibus DEOS, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare; ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorumq; nominibus appellant Secretum illud, quod ſola reverentia vident.*

§. 16. Cæterum *Socialitas*, & *vita hominum Socialis*, non ita à nobis parvipenditur, quaſi in cognoſcendis iis quæ ſunt juris na-

(g) Rom. 1,21.

(h) Princ. I. N. c. 5.

(i) l. c. n. 7.

(k) de Principiis Offic. Chriſt p. 170. ſeqq.

(l) Plutarch. Nū. t. 1. opp. f. 25.

(m) de Mor. Germ. c. 9.

turalis, ejus considerationem nullum plane usum adferre crederemus: quando enim quæ sint Juris naturalis officia erga alios in vita Sociali quæritur, ea quæ vitam socialem *per se* tollere, & fini societatum naturaliũ *per se* adversari recte ratiocinando percipiuntur, lege naturali esse prohibita, dubium non est. Assero præterea, *Custodiam Socialis vitæ esse* homini à DEO præceptam, etsi ab aliis hoc non ita solide probari existimem, si istis principiis tantum, quibus alias utuntur, niti velint. Ego sic progredior. Aliud dico esse fundamentum præceptorum moralium, quatenus sunt leges: aliud fundamentum, quod actibus à lege naturali præceptis vel prohibitis intrinseca insit vel bonitas vel turpitudo; aliud denique normam, secundum quam quid Juris naturalis sit, inquisitio instituitur. Legem DEI æternam rationem & fontem dico præceptorum naturalium quatenus sunt leges, quare sc. his legibus hominem obligatum DEUS voluit, quia sc. Divinæ Sapientiæ, justitiæ, sanctitati & bonitati, humanæ item naturæ ita fuit congruum, etsi vel maxime nos in particulari quoad omnes actus, & actuum circumstantias, id non exprimere valeamus, quomodo Divinæ Sapientiæ, vel Sanctitati, vel denique justitiæ aliquid sit conveniens. Ratio vero quod alii actus intrinsece sint boni, alii intrinsece mali, antecedenter quoque

ad

ad Divinam voluntatem, petitur ab objecto, ejusq; ratione morali im̃utabili, & eo quod, & prout aliquid cum ipsi objecto, tum humanæ naturæ est immutabiliter sub ratione quadã morali conveniens. Normã denique, secundum quam dijudicari à nobis debeat, quid sit Juris naturalis, non nego quidem in thesi esse hominis socialitatem, sed addo h consequentiam hanc *formaliter* nullam esse, qua sic concluditur: Hoc facit ad finem & conservationem vitæ socialis, & societatum humanarum, ergo est Juris naturalis, intrinsece honestum; utile aliquid esse, vel speciem utilitatis habere tantum, non per se & in se honestũ idem esse, vitæ socialis necessitas ex se evincit, cum & ea quæ sunt in se indifferentia utilitatem societatum humanarum promoveant. Et quanquam id negari nequeat, velle DEUM ab hominibus ea quoque observari, quæ per se & revera ad vitæ socialis finem & conservationem faciunt, unde quæso constat DEUM id velle propriè legaliter, & per naturam id legaliter præcepisse, & non potius hominum constitutioni id reliquisse, ceu quos ipsa necessitas, si vellent inter se vivere vitam socialem, ad hoc & similia pacta vinculi & legis vim inter homines obtentura, esset adactura, sicut de origine Juris Gentium etiam à nonnullis disputari solet. Verum est equidem, quod dictamen conscientiæ internæ, minarumque

internarum sensus, certissimum sit *legalis præcepti* divinitus impressi κριτήειον, sed conscientia aliam habet normam quam socialitatem, ipsam sc. legem naturæ nostræ superadditam, qua si destitueremur, siq; intellectus noster foret instar Tabulæ rasæ, nec ejusmodi dissidium cogitationum internarum experiremur, seu ageremus ea quæ ad socialitatis conservationem faciunt, seu ea intermitteremus. Dico itaque II. quod si ex *Socialitate* leges naturales deducere velimus, id fieri debeat adjuncta Lege DEI æterna, in qua omnis vis legalis fundatur, quia DEUS ceu optimus & sapientissimus rerum humanarum arbiter, homines, quos in societate vivere voluit, administrat ratione ipsorum naturæ rationali & sociali congrua, eandemque per legem naturalem etiam illis impressit & revelavit, hinc ad legem DEI æternam illam quoque pertinere, & consequenter etiam lege naturali præceptum esse omne id quod ad finem societatum naturalium, illarumque conservationem per se facit, recte infertur. Addo tamen III. quod quamquã complura officia Juris naturalis, ex ratione socialitatis elegantissime deducantur, longe tamen hanc esse insufficientem & inadæquatam, quam ut pro universo juris naturalis fundamento poni debeat, cum quid DEO debeamus, ex ipsius Divini Numinis consideratione, non ex utilitatis & neces-

necessitatis socialis intuitu, ratiocinando percipere liceat; tantum etiam abest, ut quid homo sibi debeat, ex ratione societatis præcise præstare teneatur, ut potius officia quæ sibi ipsi debet homo, regula sint officiorum, quæ proximo exhibere nos decet, ut proinde non ex ratione socialitatis ista officia deduci possint, cum ea quæ alteri debemus, potius ad officia quæ sibi ipsi homo debet conformari debeant. *Proximum enim diligere sicut se ipsum, est præceptum* Legis naturalis. ὁ τὸν πλησίον, eleganter ait *Iustinus Martyr (n)*, ὡς ἑαυτὸν ἀγαπῶν, ἅπερ αὑτῷ βούλεται ἀγαθὰ, κἀκείνῳ βουλήσεται. οὐδεὶς δὲ ἑαυτῷ κακὰ βουλήσεται, ταῦτ' οὖν τῷ πλησίον εὔξαιτ' ἂν, καὶ ἐργάσατο, γενέσθαι ἅπερ καὶ ἑαυτῷ ὁ τὸν πλησίον ἀγαπῶν. πλησίον δὲ ἀνθρώπου οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἢ τὸ ὁμοιοπαθὲς, καὶ λογικὸν ζῶον ὁ ἄνθρωπος. *Cui proximus perinde atque ipse sibi charus est, is quæ sibi ipsi obvenire vult, eadem illi optarit commoda. Nemo certe quidem sibi ipsi male vult, proinde proximo precabitur & præstabit, quæcunque sibi ipsi expetet, proximum diligens. Homini autem propinquius est nihil, quam iisdem perpessionibus obnoxium & ratione præditum animal homo.* Philautia sanè, quod vitam socialem pariat, & principium etiam sit conjunctionum, quibus tam majores quàm minores coalescunt societates, ostendit doctissimus *Thomasius (o)*. Imo nec satis commode, si præsentem hominis labe quadam naturali corrupti conditionem spectemus,

(n) Dial. cum Tryph. f. m. 251.

(o) de Philaut. §. 57. seqq.

mus, deduci possunt ex *Socialitate*, & ex hoc, quod *omnia quæ ad istam socialitatem necessario faciunt, jure naturali præcepta, quæ eandem turbant aut abrumpunt, vetita* intelligi debeant, omnia officia, & omne id, quod in vita sociali facere debemus. *Vtilitatem veram promovere, id esse Iuris naturæ & Gentium, fassi sumus, sed negavimus naturam ubivis dictare, quid utile sit revera & constanter? utile putet religionē veram fovere, quamdiu Resp. in tranquillo statu est; sin autem ea propter turbetur, vel in periculū adducatur, quod jactura religionis hactenus receptæ, averti possit, annon cogitur sua, si natura, lege veram religionem abjicere, ut Resp. servetur? Perinde se res habet in reliquis objectionibus, de Magistratu colendo, cade vitanda, polygamia & stupris & illegitimis divortiis detestandis, fide servanda, honestate colenda, &c. quamdiu ea è re Reipubl. fuerint; sin è re hujus magis fuerit cōtrarium facere, tum demum Iure naturæ non obligari, ut id perpetremus*, recte scribit Dn. D. *Bebel* (p) noster. Tot enim usq; adeo perplexi & intricati casus sæpenumero, in πρᾶξει præprimis quando ad specialiora descenditur, occurrunt, ut si illos è ratione utilitatis & necessitatis, quæ societati humanæ & Reipubl. incumbit, decidere velis, graviter sis aberraturus, ut proinde ne ad πρᾶξιν quidem hæc sit adæquatum & satis tutum cognoscendi ea quæ sunt Juris naturalis fundamentum.

(p) l. c. p. 139.

§. 17. Excipiunt hinc alii *Socialitatem* non

esse

esse præcise considerandam, sed *socialitatem cum rationalitate conjunctã*. Ita enim Grotius:(q) *Societatis custodia humano intellectui conveniens, fons est ejus juris, quod proprie naturale appellatur.* Unde Cl. Rachel. (r) *Si homo*, inquit, *recte judicaverit, quid ad finem societatum naturalium ducat, quibus officiis & Iuribus illæ contineantur & conserventur, quidq; item rationali naturæ conveniat, hanc posse honestatis esse normam & cynosuram affirmo.* Sic vero & nos socialitatem pro ratione investigandi officia quę Jure naturali aliis tantum in vita comuni, ideo quia homines sumus, præstare tenemur, non tamen pro ratione adæquata omnium officiorũ Juris naturalis admittimus, hac ratione, ut pro nota cognoscendi honesta habeamus rationalitatem & congruentiã alicujus actus cum ea, pro ratione autem utilium cognoscendorum socialitatem, etsi ea quæ sunt socialia, in se quoq; posse esse honesta non repugnet. Imo si recte velim⁹ loqui, proprie & vere sociale dici aliquid nõ debet, qualécunq; etiam socialitatis prę se ferat speciem, nisi simul sit honestum, ut proin non primo quid ad vitam socialem conferat, sed quomodo ad rectam rationem ejusque dictamen se habeat, videndum sit. Accommodare huc liceat verba Ciceronis (s): *In hoc verbo* (socialis) *lapsa consuetudo flexit de via, sensimq; eo deducta est, ut ab honesto utile secerneret, & constitueret honestum aliquid, quod utile* (sociale) *non esset, &* utile

(q) de I. B. P. Prol.

(r) Differt. de I. N. & G. p. 69.

(s) 2. Offic.

utile (sociale,) *quod non honestum. Qua nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri.* Patet præterea, quod, quæ sic dicuntur esse Juris naturalis, talia sint ob congruentiam primo cum natura rationali, & cum dictamine rationis, in quod denique omnia resolvuntur, non ideo præcise, quia ad vitæ socialis conservationem faciunt, vel quia salutis publicæ necessitas atque utilitas ita efflagitat. Quis verò ea à lege naturæ præcipi neget, quæ cum salutis publicæ necessitas & utilitas ea efflagitet, una à recta ratione, ejusq; dictamine injunguntur, & ex primis principiis practicis una deducuntur?

§. 18. Investigaturi itaq; *quid sit Iuris naturalis in ordine ad alios*, cum quibus nobis vivendum, considerandũ est, omnes actus rectæ rationi debere esse conformes; *quia enim homo supra cæteras animantes, non tantum vim obtinet socialem de qua diximus, sed & judicium ad æstimanda quæ delectant aut nocent, non præsentia tantum sed & futura, & quæ in utrumvis possunt ducere; pro humani intellectus modo etiam in his judicium recte conformatum sequi, neq; metu aut voluntatis præsentis illecebra corrumpi, aut temerario rapi impetu, conveniens esse humanæ naturæ; & quod tali judicio plane repugnat, etiam cõtra jus naturæ humanæ scilicet esse intelligitur*, recte ait *Grotius* (*t*). Cumq; omnium societatum hic sit finis naturalis, ut secundum virtutem vivamus, si, quando prudenti judicio practico depre-

(*t*) I.B. Proleg.

deprehendimus, quid fini societatum naturalium proprio sit consentaneum, quænam etiam sint officia ex ratione illius societatis præstanda, & per se ad finem societatis pertinent, præterea ista examinemus ad virtutum præcepta, & ad prima illa principia, quæ conscientia nobis dictat, referamus, & ex illis prudenter de negotio, de quo quæritur, conclusionem eliciamus, quin quid in vita sociali Juris naturalis sit, adhuc deprehendere possimus, dubio caret. v. c. quæritur an *Polygamia sit contra jus naturæ?* Considero hic, quod natura societatis matrimonialis in hoc consistat, ut personæ societatem hanc constituentes sint *una caro*, cum vero non plures quam duæ personæ una caro esse queant, nam licet plures mulieres uni viro conjungantur, inter ipsas tamen mulieres non est unio; infero hinc Polygamiam, sicut adversatur indoli matrimonii, quod est moralis & naturalis quædam societas; ita quoque esse contra jus naturæ. Refero præterea hæc ad istud primum Juris naturalis axioma: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, quod eleganter explicatur à *Theophylacto* (u) σύντομον δείκνυσι εἰς ἀρετὴν ὁδόν. οἱ γὰρ ἄνθρωποι οἰκόθεν γινώσκομεν τὸ δέον. εἰ γὰρ θέλεις εὐεργετεῖσθαι, εὐεργέτει. εἰ θέλεις ἀγαπᾶσθαι παρὰ τῶν ἐχθρῶν, ἀγάπα καὶ σὺ τοὺς ἐχθρούς. οὗτος γὰρ ὁ νόμος τοῦ Θεοῦ, καὶ οἱ Προφῆται ἐκεῖνα λέγουσιν, ἃ καὶ ὁ φυσικὸς νόμος ἡμῖν διατάττεται, *brevem* (Christus sc.)

(u) Cō. Matth. 7. 12.

ad virtutem viam ostendit. Ex *nobis enim scimus quid facto sit opus. Nam si vis beneficia accipere, benefac, si vis diligi ab inimicis, dilige etiam inimicos. Etenim lex* DEI *& Prophetæ illa dicunt, quæ & naturalis Lex præcipit.* Cumq; ex eo quod mas & fœmina sint una caro, mas obligetur quoad sui corporis potestatem faciendam uxori sicut uxor marito, hinc sicut maritus jure naturali vult mulierem sui corporis potestatem sibi soli, non alteri facere; ita jure idem potest uxor postulare, & ni fiat, de injuria illata jure queri. Idem quoad alias quæstiones controversas ostendi posset, si prolixi esse vellemus.

§. 19. Sic etiam, *quid per jus Naturæ ipsi sibi homo debeat,* si cognoscere animus nobis est. Considerabitur, vel quisquid sibi debeat, absolutè qua homo est propter se, vel quid in ordine ad alios sibi præstare teneatur, quæ confundenda non esse existimamus. Ad hoc autem requiritur *vera sui*, ceu objecti, quod supra cognoscendũ esse diximus, *notitia.* σαυτὸν γιγνώσκων εὐδαίμων Κροῖσε πέρασεις: *Crœse beatus eris, si te cognoveris ipsum,* respondit olim *Apollo Pythius* (x) Grœso. Cum enim à DEO non sit in absoluto hominis arbitrio relictum, quid de seipso statuere velit, etiamsi etiam ut sibi soli, non verò ad socialem cum aliis colendam vitam natus consideretur: Sicut enim exlex ita vivere non posset, sic licet sibi soli viveret, pro absoluto tamen arbitrio de vi-

(x) Xenoph. Cyrip. f. 108.

ta,

ta, anima & corpore suo ei disponere non liceret. Cognoscitur hinc esse officia legis naturalis, quæ primario homo sibi *propter se*, secundario autem *propter socialitatem* debet; quibus etiam obligaretur, si vel maximè nulla vita foret socialis. Sane si secundum *Hobbesii* (y) hypothesin status hominis naturalis foret bellum, nec esset animal sociale, vitæ tamen suæ, corporis item, & animæ curam eum oporteret habere. Ad sic enim spectatum etiam hominem pertinet illud *Lactantii* (z), *Sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursum ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti.* Ingluvies certè, ebrietas, aliaque in proprium corpus scelera commissa, peccata à jure naturali prohibita forent, licet nulla foret vita socialis. Taliaque committens ille homo solitarius naturali, & à recta ratione præcepto, contrairet sui ipsius amori. Etsi verò cum ad socialitatem homo conditus sit, sui quoque curam non possit propter vitam quoq; socialem penitus abjicere, socialitas tamen non est ratio ultima & adæquata officiorum, quæ sibi ipsi homo debet.

(y) de Civ. c. 1.

(z) l 3. 18.

§. 20. Cum itaque quæ per jus naturæ sibi homo debet, congrua sint ejusdem naturæ, requiritur hinc *vera sui cognitio. Eodem loco*, inquit *Seneca* (a), *pone homines, quos in nume-*

(a) de vit. Beat. c 8.

numerum pecorum & animalium redegit hebes natura, & ignoratio sui. Nihil interest & inter hos & illa. Quoniam illis nulla ratio est, his parva, & malo suo, atq; in perversum solers. Qui autem verè se norit, is, explicante Cicerone (b); *primum aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumq; in se suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit: tantoq; munere Deorum semper dignum aliquid & faciet & sentiet.*

(b) 1. de Legg.

Qui enim se, suamque naturam, ejusque dignitatem, animam item suam, ceu partem longè nobilissimam, & præ corpore diligendam, statum etiam & conditionem, rectè cognoscit, is accedente judicio intellectus lumine principiorum J. N. practico illuminati, habituque prudentiæ, variarumque rerum usu, & prudenti experientia perfecti, quid sibi debeat, facilè deprehendet. Eleganter rursus Cicero (c), *si simul*, inquit, *atq; ortus esset, se quoque cognosceret, judicareque posset, quæ vis & totius esset naturæ, & partium singularum; continuo videret, quid esset hoc quod quærimus, omnium rerum, quas expetimus, summum & ultimum: nec ulla in re peccare posset*, ut proinde jure Gregor. Nazianz. (d) dixerit, σοφίαν esse, καὶ τὸ ἑαυτὸν γινώσκειν, qui etiam hanc sui ipsius ab homine instituendam cognitionem, hoc involvere docet (e), quod *simus imago DEI.*

(c) 5. de Fin.

(d) Orat. 26. f. 456.

(e) f. 95.

§. 21. Adjuvat ad cognoscenda J. N. officia, quæ sibi ipsi homo debet, admirabilis

ille

ille *amor quo quis seipsum prosequitur*, non quidem quatenus ad *prima naturæ* præcise refertur, & purè naturalis est, quo quanquam secundum *Platonem*, (*f*) qui locum hunc quæ sint officia hominis erga seipsum eleganter tractat, *etiam* φίλος αὐτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει *amicus sibi quisque naturâ sit*, idem tamen docet, *quomodo nimius in se amor omnium peccatorum omnibus semper causa sit*; sed quatenus à recta ratione, quæ honestatis & animi potiorem curam habet, veramque sui boni notitiam homini suppeditat, dirigitur & perficitur. Hæc enim φιλαυτία hominem non sibi ut *animal*, id quod naturalis ille sui amor facit, sed ut *hominem* commendat, ceu eruditè hoc, & alia Philautiæ naturalis & rectæ discrimina disputat doctiss. *Thomasius* (*g*): Nec aliter possumus. οὐδεὶς γάρ ποτε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐμίσησεν, ἀλλ' ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτήν, *nemo enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, sed nutrit & fovet eam*, ut *Paulus* (*h*) loquitur. Quæcunque ergo odium aliquod hominis erga seipsum inferre recta ratio dictitat, jure naturali recte prohibita censentur. Sic cum sui omnem planè abjicere curam, vel natalium splendorem, aliaque fortunæ & naturæ bona negligere, vel intemperantia cibi, potus, veneris, corpus suum petulanter affligere, seipsum denique interficere, ex odio proficiscatur summo erga seipsum, rectè jure naturali hæc prohiberi, contrariaq; officia præcipi colligitur. §.22.

(*f*) 5. de Leg. f. 603.

(*g*) Exerc. de Philau. c. 3.

(*h*) Eph. 5. 29.

§. 22. Ex hoc verò quando de *Philautia recta* loquimur, per se patet, in illis quæ ex jure naturali sibi homo debet definiendis, non nisi ordinatum suiipsius amorem locum habere posse, ita ut ante omnia DEUM; dein nosmet ipsos, idque hoc ordine, ut animam ceu potiorem partem corpore magis nobis diligendam, & ejus bona cæteris quoque præferenda esse censeamus; tum proximum ceu sanguine nobis junctum diligamus. Ordinem hunc etiam *Plato* (i) commendat, eundemque negligi non posse discimus, si quid jure naturali nobis debeamus, investigamus; cum quæcunque alias absolutè hominem sibi debere videri alicui possit, ex hoc quod Deus super omnia sit diligendus, & amorem sui amori quo DEUM prosequimur cedere oporteat, eodem jure verè prohibita sint. Custodia sui est jure naturali præcepta, at eandem sic instituere, ut amori suæ vitæ postponat quis dilectionem DEI, legi huic penitus adversatur, cum ne seipsum quis diligere debeat nisi propter DEUM, cum qua dilectione DEI, si non stare possint officia quæ alias sibi homo debet, tum ne quidem pro officiis ex jure naturali sibi debitis, haberi illa par est.

(i) 5. de Leg. f. 604. seq.

§. 23. Cum autem rectus sui & à ratione recta directus amor complectatur sic hominem, ut homo sicut seipsum diligit, vitam

se-

ſc. animam & corpus, & exhinc ſibi partibusq; ſuis ea ſe debere cognoſcit, quæ ad illarum conſervationem & perfectionem faciunt, ita idem amor naturaliter fertur in omnia, quæ quacunque ratione ſua eſſe, & ad ſe pertinere credit. Oriuntur hinc officia quæ homo ſibi ſe debere intelligit diverſorum intuitu bonorum quæ habet, quæque ipſius animam, corpus, ſtatum, & conditionem in qua vivit perficiunt. Ingenio quando pollet, doctrina, & artibus animus imbui debet, notitia item virtutum & amore honeſti, ne bruti inſtar, vel bruto pejor homo vivat. Valido quando gaudet corpore, laboribus honeſtis, licita recreatione, temperanti cibi potusque uſu valetudo conſervanda eſt, ne vel otio corpus torpeſcat, vel intempeſtivo etiam labore & intemperanti vita affligatur. Formæ corporis præſtantia non ad libidinem alios invitabit; nam ſecundum *Clem. Alexandr.* (k) ἄνθος τῆς ὑγιείας ἐλευθέριον, τὸ κάλλος. ἡ μὲν γὰρ ἔνδον τοῦ σώματος ἐργάζεται. τὸ δὲ, εἰς τὸ ἐκτὸς τοῦ σώματος ἐξανθῆσαν, φανερὰν ἐνδείκνυται τὴν εὔχροιαν, *ſanitatis liberalis flos eſt pulchritudo: ſanitas enim intus operatur, exterius autem effloreſcens pulchritudo bonum colorem manifeſtum oſtendit*; unde vitæ caſtimonia & temperantia, ne quis in ſeipſum ſit iniquus, hanc conſervandam eſſe lex naturæ dictitabit, ut ſit μελλούσης ἀρετῆς ἄνθος, καὶ οἱονεὶ προοίμιον κάλλους ἀφθάρτου, *futura*

(k) Pædag. 3. ib. f. 249.

turæ flos virtutis, & majoris quasi pulchritudinis præludium, ut disputat *Maximus Tyrius* (l). Ita si quis claro natus est loco, si in dignitate constitutus vivit, ingentibus etiam gaudet opibus, & hoc se sibi debere hoc nomine credit, ne quid, quod natalium splendore, vel munere suo indignum sit committat, ne famæ, existimationisque suæ jacturam faciat. Non Euclio erit, sed divitiis utetur probe, juste, ceu instrumentis vivendi; comparabit sibi ea, quibus ad bene vivendum opus habet; injurius alias in seipsum futurus, si penuria, indigentia & curis, quibus liber esse potest, seipsum conficere velit, quorum officiorum exercitium feliciter succedet, si intellectus prudentia, voluntas autem virtutibus moralibus probè fuerit exculta.

(l) Dissert. 9.

§. 24. Cæterùm cum naturæ lex non tantum actuum substantiam, sed & circumstantias respiciat; sic ut ad bonitatem actus non sufficiat, ut *solum sit de re honesta, sed etiam cum circumstantiis omnibus ad honestatem actus requisitis*, ut docet, *Francisc. Suarez* (m), Lex enim naturæ non solùm præcipit ipsam substantiam actus, & quid fieri debeat, sed & quod fieri aliquid debeat à tali persona, tali item tempore, loco, animi inclinatione, tali etiam medio, & ob hunc non alium finem; imo contingit haud raro, ut circumstantiæ pure tales esse desinant, sed rationem objecti

(m) de Leg. 2. 10. f. 80.

objecti etiam induant: unde uti quis illarum valor sit, queq; præcise ad moralitatem actus quoad certam speciem considerati necessariæ sunt circumstantiæ, cognosci debet, ita quæ & quales objectum aliquod vestiant, si quid circa hanc vel illam rem jus naturæ definiat cognoscere velimus, observandum est. *Provenit*, secundum *Philipp. à SS. Trinitat.* (n) *actui humano aliqua bonitas vel malitia moralis, non minus ac ex accidentibus ordinis physici provenit substantia intra eundem ordinem aliqua bonitas, vel malitia naturalis:* Nam *sicut substantia in ordine physico non est omnino completa & integra per sua essentialia, sed ad suam integritatem requirit plura accidentia quibus ultimo completur; sic actus humanus non intelligitur omnino completus in ordine morali per sua essentialia, sed ad suum complementum & integritatem requirit circumstantias, quæ sunt accidentia ordinis moralis, quibus ultimo completur.* Num verò ex omnibus & singulis circumstantiis actui humano aliqua bonitas & malitia moralis accedat; & quando speciem moralem mutent, id quod & scitu & observatu in cognoscendis illis quæ sunt juris naturalis omnino est necessarium, in sequentibus (o) dicetur.

(n) in I. IIæ. Thō. tom. 2. p. m. 400.

§. 25. In subsidium quoque hic vocanda est *statuum* doctrina in *Rhetoricis* prolixius tradita, cum ut de actu aliquo, qualis sit in genere morum, rectum feratur judicium,

(o) art. 8.

 iisdem

iisdem argumentorum locis uti liceat, quibus & Oratores utuntur. Nam & in moralibus quæritur, an aliquid factum sit, an v. c. ab Israelitis Ægypto exeuntibus furtum commissum? vel quo nomine factum aliquod venire debeat, an sc. spolia ista Ebræorum furta appellari debeant? vel quo jure aliquid fieri possit, & quibus rationibus factum aliquod fundetur; vel denique an factum aliquod tantum sit, tantumq; moralitatis habeat, quantum habere alias dicitur, an vero minus?

§. 26. Non negligenda denique est consideratio *status* tam objecti, seu rei circa quam actio aliqua occupatur, quam personæ agentis, cum sicut in spatio corpora naturalia sunt, agunt, & moventur naturaliter, suamque naturalem habent existentiam, ita in statu quoque res suam *moralem quasi ponant existentiam, & actiones suas atq; effectus exserant*, uti non malè loquitur *Pufendorf.* (p). Infert enim status ejusmodi conditionem rei seu objecti, quæ non indifferenter admittit omnes, sed certos tantum circa se, seu sibi congruos, deposcit actus: Sic enim quæ propria sunt ad suum tantum spectant dominum, nec ab aliis justè occupari possunt. Infert præterea status talem quoq; personæ conditionem, quam certa quædam *obligatio* ad hos non illos actus exercendos, cum adversus se, tum adversus alios in vita sociali, certa item *jura* comitantur, *ad aliquid juste*

(p) Elem. I. V. 1. def. 3.

juste habendum, vel agendum, uti definit *Grotius* (q), qua facultate destituitur, qui non eodem gaudet jure, sic ut licet duo idem faciant, idem tamen non sit. Statuum itaque insignis cum sit varietas, quam infert diversitas partim loci & conditionis, in qua quis vivit in vita sociali & civili, sic ut alius belli, alius pacis status sit, alius sit liber, alius servus, alius imperans, alius parens, alius sacerdos, alius secularis, alius item persona publica, alius persona privata &c. partim etiam temporis, in quantum nimirum ex tempore quoq; moralis effectus redundat in illos qui in isto tempore existunt, ita ut alii sint seniores, alii juniores &c. patet hinc, quod si ad quid homo ex lege naturali teneatur, quæq; sint officia hominis in vita sociali & civili secundũ jus naturæ, cognoscere velimus, diligenter quoq; considerandũ sit, in quo quis vivat statu, quæ itẽ obligatio & jura istum statũ comitentur, item termini qui sint status, quando sc. initiũ & finem habet. Philosophiã de statu ejusq; diversitate quia prolixius tractaverunt *Thomasius* (r) & *Pufendorfius* (s), jure hic sumus breviores.

(q) I. B. P. l. 1. 4.

(r) de Stat Natur. & Leg:

(s) Elem. l. V. l. c.

§. 27. Quæ cum ita sint, colligitur hinc, quod quædam jure naturali præcipiantur & prohibeantur *absolute* ex ratione objecti, cujus ratio moralis quando intrinsecè & simpliciter est immutabilis, ita oriuntur hinc præcepta legis naturalis *absoluta*, quæ simpliciter & immutabiliter quos-

vis homines obligant: Ita DEUM odio prosequi, ex intrinseca & immutabili hujus objecti ratione morali absolutè impium & prohibitum est. Alia deinde præcipiuntur, atque prohibentur sub certis circumstantiis, certaque conditione, quæ varia est, vel temporis, vel loci, vel personæ, quæ itidem varios haud raro sustinet respectus morales, vel actus alicujus prævii, qua, liberè licet, posita vel sublata, sicut præcepti materia mutatur, ita quoque subtracto objecto vires præceptum nullas exerit. Exprimit hæc Grot. (t) *sunt*, inquit, *& quædam juris naturalis non simpliciter, sed pro certo rerum statu.* Bonum depositũ reddere etsi sit juris naturalis, præcipitur tamen sub certis tantum circumstantiis, quibus mutatis, vel aliis supervenientibus, illud petenti restitui non debet, v. c. furioso gladius; ratio est, quia per tales circumstantias aliquid eximitur ab objecto Legis naturalis, nec ab eadem idem qui prius præcipitur actus, cum non sit amplius idem per omnia objectum. In se immutabilis manet lex naturæ, & præcipit immutabiliter, idque vel absolutè, vel sub conditione, at in objecto ratio moralis nonnunquam est mutabilis, qua posita vel subtracta aliquid fit, vel desinit esse præceptum lege naturali, vel prohibitum. Ita naturâ integrâ ob nuditaté non debet homo pudore suffundi, at posita rebellione membrorum in natura corrupta, eadem jure naturæ tegi debet.

(t) I.B.P.l.c.10.

§. 28. Cer-

§. 28. Certos hinc *gradus*, quibus aliquid *juris naturalis* esse dici debeat, dari docuerunt *Moralium Magistri*. Eorum quæ sunt de jure naturali *Ludovic. Molin.* (*u*) tres gradus ponit. *Primus* est eorum, quæ ita intrinsecè & absolute bona & mala sunt, ut quod sic malum est, nulla circumstantia possit fieri licitum, quale est basphemia divini nominis. Sicut enim nulla efficere scit circumstantia, quo minus Deus sit Deus, & sic circa DEUM nulla contingere potest mutatio; ita quoque nunquam non odium DEI, vel blasphemia est mala. *Deinde* dantur quę sub certa ratione formali, quamdiu talis manet, intrinsecè sunt bona & mala, accedente tamen aliqua circumstantia, quæ prius aberat, sicut respectus objecti mutatur, *ita hoc ipso liberatur à ratione ista formali, sub qua intrinsecè malum* quid fuerat. Rem alienam invito domino furto auferre in se malum est; at quando DEUS jure Dominii supremi, quo bona transferre potest prout vult, eaque alii possessori, ut illa occupet, permittere, sicut hoc facto bona aliena eximuntur à ratione formali furti, circa ea committendi ab eo, qui DEO tanquam supremo Domino ea occupari jubente occupat, ita quoque licitè possidentur. *Deniq;* dantur quæ per se, præcisa hac vel illa circumstantia sunt de jure naturali, adveniente tamen eadem talia esse non solum desinunt, sed nonnunquam red-

(*u*) de I. & I. t. 6. f. 1711.

duntur contra jus naturale, *etsi ratio ista formalis maneat, nec pereat*, v. c. bonum depositum est petenti reddendum, at quando magistratus ex causa id prohibet, etsi bonum depositum sit & maneat, non tamen reddi debet. Nec penitus hoc negligendum est discrimen, diligenti enim cum opus sit interpretatione, qua qualia sint legis naturalis præcepta, quomodo obligent, & quo sensu objectum, circa quod feruntur, respiciant cognoscitur, omnino illud observari debet, non omnia quæ sunt I. N. eodem se habere modo, & eodem gradu talia esse, ut proinde pronunciaturi, an & quomodo, & quousque aliquid sit I. N. diligenter, ut modo dictum, considerare debeamus circumstantias, & quæ sit ratio sub qua alicujus objecti perpendere, & accuratè quæ sit habitudo ejus ad legis præcepta, & num materia moralis sit mutabilis, & sic nonnunquam exceptionem à lege naturali admittere possit, an immutabilis, ita ut omnem limitationem & exceptionem à lege, ullo in casu respuat, cognoscere: quo observato etiam non semper opus est, ut quomodo aliquid sit præceptum vel prohibitum definituri, ad *positivum morale* nos recipiamus. Nec neglexerunt hoc discrimen Patres; unde *Augustin.* (x) etiam circa has quæstiones sibi in certo casu distinguendum esse judicavit inter *regulam* & *exceptionem à regula*.

(x) quæst. 61. in Lev. t. 4. Opp.

§. 29. Quan-

2. 29. Quanquam verò hoc ſic ſe habeat, ut objectum aliquod liberari queat à ratione iſta formali, ſub qua intrinſecè malum fuerat, dictu tamen haud raro ſæpè planè eſt difficile & perobſcurum, quando in re aliqua talis mutatio contingit, & quæ iſtius mutationis ratio. Et ſicut ſæpè numero ſoli legislatori in certis caſibus perplexis notum eſſe judicatur, an, quando, & cur aliquid liberum cenſeri debeat ab iſta ratione formali ſub qua eſt peccatum contra legem commiſſum, ita multò minus ob naturæ noſtræ labem & corruptionem dubium eſt, quin in naturalibus, ubi ratio legis ſæpè numero perobſcura, ſi non planè incognita eſt, præcipuè quoad illa quæ ſunt à primis & univerſalibus regulis remotiora, ſoli quoque legis naturalis latori ſapientiſſimo, DEO, notum ſit, an, & quando, & ſub quo reſpectu, objectum aliquod liberetur à ratione iſta formali, ſub qua alias intrinſecè malum eſt. Ita matrimonium inter fratrem & ſororem dicimus quidem eſſe contra Jus naturæ, non tamen hoc matrimonium, ceu à DEO inter liberos Adami probatum, ſic comparatum eſſe dicimus, quaſi liberari nequeat à ratione iſta formali, ſub qua alias intrinſecè, etſi non abſolutè, malum eſt, quanquam quo in caſu, & cur mutatio iſta contingat, fortè non malè ſoli Legislatori notum eſſe docetur. Idem etiam de Polygamia dici poterit, quam

DEUM ob causas sibi notas in Patribus tolerasse dicimus. Quamdiu itaque exceptionem à lege locum non habere posse, vel debere, certo nobis non constat, tamdiu quoque à nobis nulla fingi debet, quos simplicem legis sensum potius sequi decet, donec alias inde oritura absurditas nos ad exceptionem descendere jubeat. Quomodo verò aliquid à ratione ista formali, sub qua intrinsecè malum alias fuerat, liberari queat, salva immutabili τȣ̃ boni vel mali moralis, legis item naturalis ratione, in sequentibus explicabitur.

§. 30. Præterea cum Legis naturalis attributum sit EVIDENTIA, quæ ei accidit, quia constat ex principiis primis, universalissimis, indeque illatis conclusionibus evidentissimis, ad cognoscendum num aliquid sit J. N. manifesta potius sequi oportebit principia, quã obscuras, & longè, imò haud raro aliunde petitas rationes, multumque impeditas & difficiles conclusiones adferre, ceu quibus sæpenumero nil aliud ferè præstatur, quam ut obscurum per æquè obscurũ probetur. Benè facit qui de negotio, vel actu aliquo judicaturus, omnia ad communes istas notiones practicas referre studet, & num ibi aliquid subsidii invenire liceat, dispicit; nam licet quid primæ istæ honestorum & turpium discrimen insinuantes regulæ dictitent, satis cognoveris, ubi tamen

ad

ad singularia & dubia applicatio illarum fieri debet, satis sæpè numero deprehenditur difficultatis, ut haud raro bonus dormitet Homerus, sicut etiam *Hugoni Grotio* (y), summo alias his in literis viro, accidit. *Primum ei quidem cura fuit, ut eorum, quæ ad jus naturæ pertinent, probationes referret ad notiones quasdam tam certas, ut eas nemo negare posit, nisi sibi vim inferat*; at quam feliciter sc. ei hoc haud raro successerit, eruditissimi quique censores Grotiani de Jure Belli & Pacis operis non semel notarunt: Id quod tamen mirum non est accidisse viro à variis sectariis passim seducto. Quid ergò continget, si evidentioribus principiis relictis obscura sectemur? Ubi tamen sic evidentia quærimus, *cautè versandum* erit, rectè id monente *Frider. Horn.* (z) *ne consetudinem pro naturali jure acceptantes decipiamur.*

(y) Proleg. I.B.

(z) de Civit. p. 199.

§. 31. Patet ex hisce, uti supra (e) jam incepimus dicere, quæ causa sit, quod complures circa definienda illa quę naturaliter sunt honesta & turpia errent, & quæ sint *impedimenta*, illa quæ sunt juris naturalis cognoscendi. *Primo* loco est *humanæ nostræ naturæ infirmitas*, cujus nos convincit partim intellectus nostri in judicãdo imbecillitas, partim voluntatis nostræ in eligendo pravitas. Caligant nimirum oculi nostri, & quanquam lumen aliquod practicum, lex nimirum naturæ, notitia honestorum & turpium, nobis

(z) art. 6. §. 13.

insit, quando tamen ad speciales descenditur casus, quanta sit intellectus nostri, cum compluribus sæpè conflictantis dubitationibus, infirmitas statim deprehenditur. Auget eandem prava educatio, & vitiosa consuetudo, qua fit, ut dum virtutum loco vitia habentur, intellectus corruptus & perverse judicet, & voluntas ad mala assuefacta non nisi prava eligat. Agnoscit hoc Cicero (*a*), queriturque hoc nomine de *depravatione consuetudinum, & opinionum vanitate imbecillitatem animorum torquente.* Prolixius alibi (*b*) communem deplorat miseriam: *Idipsum*, inquit, *quod judicat ægrotat. Quod si tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri, & perspicere, eademq; optima duce cursum vitæ conficere possemus, haud erat sane quod quisquam rationem ac Doctrinam requireret, nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusq; depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. Sunt autem ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret, nunc autem simul atq; editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur, ut pæne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.* Pravis si hic opinionibus ab ineunte ætate animus est occupatus, & prava consuetudine ad mala proclivis, quam difficile rectum de bono & malo mora-

(*a*) 1. de Leg. P. 161.

(*b*) 3. qq. Tuscul.

morali judicium sit nemo non agnoscit; sint unus & alter, ut cum *Poëta* (c) loquamur,

— — — quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan.

(c) Iuven. Sat. 14.

§. 32. Magno tamen II. illis impedimento est *Falsa veri & boni species*, quæ haud raro imponit. Conjungit hoc priori impedimento *Seneca* (d); *Sunt*, inquit, *propter quæ delinquimus, aut inest animo pravis opinionibus malitia contracta: aut etiamsi falsis non est occupatus, ad falsa proclivis, & cito* SPECIE, *quo non oportet, trahente corrumpitur.* Ducitur hac homo in errorem, sicut viator in devia ab igne fatuo, qui veri luminis speciem præbet. *Vitia nobis*, inquit idem alibi (e), *sub virtutum nomine obrepunt; temeritas sub titulo fortitudinis latet; moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur.* Idem Gregor. Nazianzen (f) monet: οὐ φαύλως τοῦτό τινες πεφιλοσοφήκασιν, ὅτι παραπεπήγασι ταῖς ἀρεταῖς αἱ κακίαι, καὶ εἰσί πως ἀγχίθυροι, καὶ ῥᾷστον ἄλλό τι ὄντα ἕτερον νομισθῆναι τοῖς μὴ τὰ τοιαῦτα πεπαιδευμένοις, *non malè quidam tradiderunt, virtutibus finitima, & quodammodo vicina esse vitia, nihilq; facilius esse, quam ut ab illis, qui hujusmodi rerum scientiam non tenent, res quædam aliud esse judicetur, quam revera sit.*

(d) Ep. 94.

(e) 45.

(f) Orat. XX. f. 361.

§. 33. Accedunt III. *variarum gentium variæ leges, instituta, opiniones, & vivendi genera*, quæ si cum reliquis conjunguntur impedimentis, quin difficilem eorum quæ sunt

juris

juris naturalis haud raro reddant cognitionem, dubium non est: *Pyrrhonij* certè, quia tantis difficultatibus doctrina de moribus undique premebatur, virtutem *per se* honestam esse negarunt, ceu ex *Cicerone (g)* aliisq; constat. In contrarias enim facilè animus distrahitur sententias, si illos qui Sapientum titulo superbiunt, inter se quoque dissentire observat, nullibi solidè consistens, si solida destituatur, vel ex ingenii imbecillitate, aliorumq; mediorum neglectu, nesciat uti manuductione. Pertinent *huc inveteratæ consuetudines* & corrupti seculi *mores*, qui enormibus etiam flagitiis obtendi solent, de quo *Plautus (h)*,

(g) 4. qq. Academ.

—— nunc MORES, *nihil faciunt quod licet,*
nisi quod lubet:
ambitio jam MORE *sancta 'st, libera 'st à legibus.*

(h) Trinum. a. 4. sc. 3.

& mox:

MORES *leges perduxerunt jam in potestatem suam.*

Quanquam verò hæc ita se habeant, hæc tamen & alia impedimenta & obstacula feliciter superabuntur, ubi bonæ indoli, animiq; præstantiæ, felix cultura accesserit; si naturæ beneficiis prudentiæ, experientiæ & doctrinæ qua sacræ, qua profanæ, subsidia adjuncta fuerint: sic enim, ut *Poeta (i)* loquitur;

— — Veri speciem dignoscere calles,
ne qua sub ærato mendosum tinniat aurum.

(i) Pers. sat. 5.

quæq;

quæq; sequenda forent aut quæ fugienda vicissim.

§. 34. Longè accuratius & explicatius secundum sublimiorem *Christianorum disciplinam* hæc de *impedimentis prudentiæ naturalis*, & quibus illa removeri queant *mediis* Philosophia traditur. Nimirum sicut illa nativa nostræ mentis cæcitas, ceu labes quædam originalis in parentibus primis contracta, in spiritualibus hominem qua spiritualis esse & salvari debet concernit, nos penitus cæcos reddidit; ita rationis lumen relictum, ad hominem qua civilem & socialem vitam agere debet pertinens, admodum experimur tenue ob profundissimam totius nostræ naturæ & omnium animæ facultatum corruptionem, quæ nobis ob istam labem & morbum originalem, cujus vim etiam scintillulæ istæ practicæ residuæ senserunt, accidit. Unde fit, ut homines sibi relicti ambulent, ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν, ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, ita ut in illis sit, ἄγνοια & πώρωσις τῆς καρδίας αὐτῶν; sicut communem hanc calamitatem deplorat *Paulus* (k). *Ex eadem massa coagmentati sumus*, ait *Gregor. Nazianz.* (l) σκηνὴν δὲ ἄλλος ἄλλην εὐπρεπεστέραν περιβέβληται, *utcunque alius alio speciosiorem larvam præferat.* Omnes enim habemus πρώτας ἐκ γενέσεως ὁρμὰς, καθ᾽ ἃς Θεὸν οὐ γινώσκομεν, ἀσεβείας, *primas impulsiones & motus ex generatione, per quos DEUM non cognoscimus, impietates*, ut loquitur *Clemens Alexandrin.* (m) Nota sunt

(k) Eph. 4. 17.
(l) f. 135.
(m) 3. Strō. f. 469.

(n) 2. de Vocat. Gent 3.

sunt B. *Ambrosii* (n) verba: *Incolumitatem naturæ prævaricatione primi parentis amisimus &c. inde ignorantia & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores, timor varius, amor noxius, iniusta gaudia, pœnitenda consilia, & non minor miseriarum multitudo, quam criminum.*

(o) tract. 55. in Ioh.

§. 35. Accedit malitia *satanæ*, qui pravis cogitationibus menti immissis tentat & ad peccatum solicitat, falsisque imaginibus mente imprægnata inebriatos sensus quasi soporat. *Spiritualis suggestio non fit per aurem*, inquit *Augustin.* (o) *sed per cogitationem, ac per hoc non corporaliter, sed spiritualiter.* Hic est pravus ille Genius, cujus malitiam & seductionem *Gentiles* etiam senserunt, etsi à quo, vel quali generis humani hoste istas plagas acciperent, ignorarint. Sic enim apud *Homerum* (p) Æolus & convivantes ad Ulyssem, tempestate rursus ad Æoliam insulam delatum:

(p) l. 10. Odyss. p. m. 283.

τίς τοι κακὸς ἔχραε δαίμων;

quis tibi malus ingruit dæmon.

(q) Odyss. 11. p. 315.

Apud eundem (q) Elpenor:

ἀσέ με δαίμονος αἶσα κακὴ,

læsit me dæmonis malum fatum;

queritur. Variæ autem viæ sunt, quibus hominem tentare & decipere ei non est difficile. Non mirum est dicit, hinc *Serenus* apud *Cassian.* (r) *posse spiritui insensibiliter conjugari, & occultam suadendi vim ad ea, quæ libita fuerint, exercere.* *Est enim inter eos, sicut*

(r) Collat. 7. c. 10. f. m. 1056

ſicut inter homines, quadam ſubſtantiæ ſimilitudo atq; cognatio. Graviter quo pacto animæ mala ſuggerat hic κακοδαίμων explicat B. *Cyprian.* (*s*) *Offert*, inquit, *oculis formas illices, & faciles voluptates, ut viſu deſtruat caſtitatem.* (s) *Aures per canoram muſicam tentat, ut* Serm. 2. de *ſoni dulcioris auditu ſolvat & molliat Chriſtianum* Zelo & liv. *vigorem.* & mox: *ut fraudatorem faciat, lucra opponit injuſta; ut animum pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia: oſtentat falſa, ut vera ſurripiat.* Ita nimirum ſenſus tam internos quam externos variè faſcinat, falſa repræſentando, vera removendo, intellectum obtenebrando, & per intellectum voluntati poſtmodum imponendo. Malis his accedunt illa ſupra explicata, nec gentilibus penitus incognita, Chriſtianis autem melius explicata, impedimenta.

§. 36. Subminiſtrat contra hæc, & ſola ſubminiſtrare poteſt Chriſtiana diſciplina remedia; inter quæ eminet *ſcriptura ſacra*, quæ *ſapientem ſimplicem reddit* (*t*), quæ inſpirata (t) *ad correctionem & inſtitutionem* dicitur *Paulo* (*u*), quæque perfecta morum regula eſt. Psal. 19. Occurrunt hic *dicta & facta*, ex quibus cognoſci poteſt, quid ſit Juris naturalis. (u) Præceptis enim jus naturæ in ſcripturis per- 2. Cor. 3. ſcriptum, & explicatum, illuſtratumque extat, eruendum è Propheticis, Chriſti & Apoſtolorum commentariis, quorum omnium (x) ſumma in Decalogo continetur. Elegans eſt tom. IV. *Theodoreti* (*x*) locus: ὁ θεῖος λόγος ὁ καινὰ προσ- f. 381.

φέρει

φέρει παιδεύματα, ἀλλὰ τῶν τῆς φύσεως νόμων ἀναμιμνήσκει, καὶ ἃ διέφθειρεν ὁ χρόνος διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων ῥᾳστώνην τῆς φύσεως γράμματα, ταῦτα ὁ τῆς φύσεως ποιητὴς διὰ τῶν οἰκείων ἀναγράφει κηρύκων, *divina lex non novas traditiones affert, sed naturæ leges in memoriam revocat, & naturæ scripturas, quas temporis diuturnitas hominum negligentia corrupit, naturæ conditor per præcones suos rescribit.* Ex eodem verbo ipse DEUS cognoscitur, qui cum velit, *ut sancti simus, quemadmodum ipse sanctus est*, cujus etiam sanctitatis in nobis resplendescentis radii sunt *νοήματα* ista naturalia practica in nobis residua. dici sane non potest, quam sancta vera DEI ejusdemq; attributorum cognitio nobis præcepta subministret, & ea quæ sunt J.N. doceat, ceu alibi ostenditur.

§. 37. *Exemplis* etiam docent script. sacræ, quid jure naturali prohibitum sit, dum mentioné faciunt pœnarum, quas illi qui in jus naturæ impegerunt, dederunt. Ubi enim nulla lex, ibi nulla quoq; prævaricatio, hæc ubi non datur, ibi nec pœna; quare cum & gentiles legantur supremo judici & legislatori gravissimas dedisse pœnas, virtutes quarum sceleratam transgressioné gravissime luerũt, à lege naturali præceptas fuisse recte infertur. Nec aliter etiam Gentiũ doctor *Paulus* (*y*) contra Gentes disputans progreditur, id quod ex divinis præceptis à *Moyse* (*z*) propositis colligitur, nec abhorrent à Philosophia hac Christiana viri oris politissimi *Hugo de Roy* (*a*) & B. noster *Bœclerus* (*b*), aliiq;. §. 38.

y) Rom. 1.
z) Levit. 18.
a) de eo quod just. p.m. 44 seq.
b) in Grot. p. 163. seqq.

§. 38. Ut *præcepta Noachica* vulgo dicta, de quibus *Cunæus* (c) *Seldenus* (d). & *Gilbert. Genebrardus*, (e) huc referamus, ceu normam cognoscendi ea quæ sunt juris naturalis, opus non est, non eo tantum nomine, quod fides vacillet historica, sed & quod non sint prima principia practica, sed conclusiones potius ex regulis universalioribus & prioribus deductæ, longè etiam insufficientia, quàm ut exinde omnia officia Juris Naturalis, quæ homo DEO, sibi ipsi, & aliis debet, elici queant, imo non mere naturalia, sed & ceremonialia inculcent. Septimum enim quod numeratur, על אבר מן החי *de membro animalis viventis* non comedendo, ex *Mosis* (f) licet Historia Noachica petitum sit, ibique explicato divino interdicto, בשר בנפשו דמו לא תאכלו *carnem in anima ejus, sanguine ipsius non comedetis*, fundetur: revera tamen ceremoniale non morale esse, notarunt Interpretes (g). Respiciebat nimirum sacrificium Christi, sanguinem pro nobis effusuri, ut scilicet in honorem ac reverentiam divini hujus sanguinis abstineretur à sanguine. Licetque hæc abstinentia à *Græcis* adhuc observetur, *Muhammedanis etiam ne sanguine vescantur* interdictum sit, teste *Elmacino* (h) Judaico tamen ritu, hoc fieri rectius, quam juris naturalis id esse dicitur. Alia autem vestigia decalogi, & sic juris quoque naturalis *ante Mosen* observati, legisque

(c) de Rep. Ebr. 1. p. 4. & p. 272.

(d) de I. N. & G.

(e) Chronograph. l. 1.

(f) Genes. 9. 3. 4.

(g) Calov. Cõ. h. l. p. 719.

(h) Hotting. H. ori. p. m. 409.

hujus praxeos institutæ, ex patribus deprehendit *Tertullianus* (i), ex recentioribus *Gerhardus* (k). qui consulendi.

(i) advers. Iud. f. m. 120.

(k) t. III. Loc. §. 16. seqq.

§. 39. Ex *Gentium Consensu* quomodo, quid juris naturalis sit, colligi queat, disquiritur. Movent hic difficultates *Seld.* (l) & qui eum sequitur *Pufendorf.* (m) quibus cum à B. *Bœclero* (n) sit satisfactum, nihil addimus. Noctua *Malmesburiensis* (o) *Thomas Hobbes*, quem *Richard. Cumberland.* (p) ceu *omnis impietatis, injustitiæ, nequitiæ & discordiæ* doctorem scripto *Londini* edito accusare non dubitavit, negat id esse juris naturalis *de quo homines consentiunt.* *Cæterum*, inquit, *si quis quid factum dicat contra legem naturalem, ex eo probat alius, quod contra consensum factum sit omnium, vel sapientissimarum, vel eruditissimarũ gentium. Quis autem de sapientia, eruditione & moribus, omnium gentium judicabit, id minimè docet.* Sed rectæ rationis dictamina qui præ aliis gentibus populi observant, quin præ aliis quoque moratiores sint, dubium non est. Unde sicut quilibet homo hoc in se cognoscere potest, num secundum rectam rationem suam vivat, bonaque quæ videt probatque sequatur, ita quoque iisdem indiciis, qui præ aliis sint moratiores populi, indagare licet. Nec solidiora sunt, quæ in *Hobbesio* sequuntur. *Alius*, inquit, *quod factum sit contra consensum totius generis humani. Quæ definitio nullo modo recipienda est; alioquin enim impossibile esset,*

(l) de Iur. N. & G. 1. 6.

(m) de I. N. & G. 2. 3. 7.

(n) Comm. in Grot. p. 101.

(o) de Civ. c. 2. 1.

(p) disquis. de Legg. Nat.

ſet uniquam, exceptis infantibus, & mente captis, contra talem legem peccare. *Nam voce illa* genus humanum *comprehendunt certè omnes homines ratione actu utentes. Illi igitur contra eam vel non faciunt, vel faciunt non conſentientes, ideoq; excuſandi ſunt.* Sed vanæ ſunt argutiæ! nam non de *cõſenſu totius generis humani* quocunq; modo conſiderati, vel *de hominibus ratione actu* quocunq; modo, ſed rectè *utentibus*, & de horum conſenſu quæſtio eſt, quando, quomodo aliquid juris naturalis eſſe conſtet, diſquiritur. quid enim nobis cum his, quibus, quia morbido diſtortoque ſunt animo, aliter videtur. Placeant ſibi in ſuis deliriis Phrenetici, rideantque alios, num ſanorum conſenſus pro mente captis illos habentium inſuper penitus habendus? Nec ſequitur: *Omnes conſentiunt hoc eſſe faciendum. E. non contra faciunt.* *Nam video meliora proboq; deteriora ſequor*, queritur *Medea* apud *Ovid.* (q) & unde conſcientiæ vulnus, niſi à peccato proæreticè, reclamante interno Pædagogo, commiſſo? Infirma itidem eſt hæc ſequela: *Faciunt hoc non conſentientes, E. excuſandi ſunt.* non enim liber penitus eſt hic cõſenſus hominum, ex quo probabiliter infertur aliquid eſſe juris naturalis, ſed effectus obligationis, ex cujus ſenſu, legis item cognitione, & conſcientiæ dictamine, illi qui rationi locum relinquunt, circa ea quæ ſunt juris communis conſentiunt. Quod verò *iniquum* eſſe credit, *naturæ leges ab eorum conſenſu reci-*

(q) Metam. 7. 1.

pere, qui eos violant sæpius quam observant, nobis non idem videtur. Nam aliud est cognitio, aliud observatio legis. Sicut enim quænam civitatis lex sit, etiam haberi potest ex civium consensu, etsi multi contra eandem peccent, ita & ex consensu eorum naturæ lex cognosci potest, qui illam transgrediuntur. Quando autem *homines eadem in aliis damnant, in seipsis probant; contra publicè laudant, quod secreto spernunt*, ut Hobbes loquitur, tum hoc ipso tacitè probant, inviti etiam, ea quæ sunt juris naturalis. Non *enim sinitur quis ignorare legem naturæ, dum id quod facit, non vult pati*, uti loquitur *Augustin.* qui & alibi (*r*), *furtum certè*, inquit, *punit lex Tua Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo, furem patitur. Quod verò consuetudine audiendi, non propria speculatione sententiam ferant, consentiantq; odio, metu, spe, amore, vel aliqua alia animi perturbatione magis, quam ratione*, id semper fieri falsum est. Et sit consuetudinis: non tamen meræ, etiam rationis simul, & conscientiæ nunquam otiosæ, dictantis, moris item recti, & ex conscientiæ obligatione profecti erit. Quando autem *non raro totos populos summo consensu & contentione ea agere* affirmat, *quæ scriptores isti contra* legem *esse* naturalem *libentissimè confitentur*, dudum pro nobis respondit Theodoretus (*s*). *Natura*, inquit, *hanc mortalibus legem*

(*r*) l.2. Conf. c.4.

(*s*) t. IV. Opp. f.m.319.

gem posuit, ut filij parentibus illatam injuriam vindicent, & servi dominorum causam asserant, & cum civitates ab hostibus oppugnantur, cives patriæ periculis sese opponant. mox verò. Καὶ μὴ μοί τις εὐθὺς ἀντιλεγέτω, καὶ ψεῦδος τοῦ λόγου κατηγορείτω, τοὺς πατραλοίας, καὶ μαστιγίας, καὶ προδότας, καὶ τυράννους εἰς μέσον παράγων. περὶ γὰρ τῶν τοῦ νόμου φιλάκων ὁ λόγος, ἐκείνους δὲ ἀχαρίστους, καὶ παραβάτας προσαγορεύειν εἰώθαμεν· τίνουσι δὲ καὶ δίκας τῶν τολμημάτων ἀξίας. *nec est quod hic mihi mox quispiam obstrepat, & parricidas, mastigias, proditores, atq; tyrannos objiciens, sermonem mendacij arguat. De justis enim & legum cultoribus nobis sermo est: alteros vero illos & ingratos & transgressores nominare consuevimus, qui pœnas quoq; suis facinoribus dignas persolvunt.* Barbaræ istæ præterea gentes, & homines immoratiores, in conclusionibus, & principiorum universalium applicatione errant potius, quam in principiis, in præceptis legis naturalis potius hypotheticis, quam absolutis, ut proin morum diversitas conclusionum potius diversitatem, vitiosamq; principiorum applicationem, quam eorundem negationem haud raro inferat. Quicquid vero sit, sicut cæcorum judicium de coloribus non attendimus, illos autem qui visus gaudent usu libenter judicare audimus, ita qui secundum rationis dictamina, non qui contra brutorum instar cauteriatam habentes conscientiam vivunt, admittendi sunt ad ferendum de moribus judicium.

 ARTI-

ARTICULUS VII.

De eo

Quod hominem ex naturæ suæ conditione decet.

§. 1.

QUo pacto, & quibus subsidiis, ea quæ sunt juris naturalis cognoscere possimus, satis quidem prolixè diximus. Cum verò illa sic etiam comparata sint, ut naturæ nostræ humanæ maximè conveniant, ex cognitione illius quoque, quod *hominem ex natura sua conditione decet*, quomodo ea quæ sunt legis naturalis nobis innotescere possint, dispiciemus. *Veræ* enim illæ sunt juris hujus sanctiones, quæ naturæ hominis congruunt. τῷ Θείῳ νόμῳ κανὼν τῆς δικαίου ἐστὶν οὐ τὸ τύχης, ἀλλὰ τὸ τῆς φύσεως ἐναρμόνιον, *lex divina*, qualis etiam est lex naturæ, *regulam justi, non fortunæ, sed naturæ congruentiam facit*, secundum *Philonem* (a). Cumque prudentia legislatoria in ferendis legibus id attendere soleat, ut leges accommodate ad genium & indolem illorum, ad quos pertinent, ferantur; quia moribus & genio distincti populi, nisi servire cogantur, iisdem planè legibus civilibus malè gubernantur, cum non ad Germanos quadrent leges, quæ vel Moschis, vel Turcis, apud quos imperia Principum sunt absoluta, præscribuntur. Benè

(a) de LL. spec.

Benè *Plato* (*b*) ὅτω διανοώμεθα, inquit, τὰ τῶν νόμων δεῖν γραφῆς γίγνεσθαι ταῖς πόλεσιν, ἐν πατρός τε καὶ μητρὸς σχήμασι φιλούντων τε καὶ νοῦν ἐχόντων φαίνεσθαι τὰ γεγραμμένα. ἢ κατὰ τύραννον καὶ δεσπότην, τάξαντα καὶ ἀπειλήσαντα, γράψαντα ἐν τείχοις, ἀπηλλάχθαι, h. e. interprete *Ficino*: *sic leges conscribantur civitatibus, ut patris matrisq; personam lator legum penitus gerat: scriptaq; charitatis prudentiaeq; virtutem habeant potius, quam domini tyranniq; imperium minitantis tantum & describentis, rationem vero nullam penitus aßignātis.* Ex *Pythagoricis* ita scribit *Archytas*: (*c*) δεῖ καὶ ποτὶ τὰν χώραν, καὶ ποτὶ τὼς τόπως ἀποβλέπειν τὸν νόμον. οὔτε γὰρ γᾶ τὼς αὐτὼς καρπὼς, οὔτε ψυχὰ ἀνθρώπων τὰν αὐτὰν ἀρετὰν παραδέξασθαι δύναται, *lex tum regionis, tum locorum rationem habere debet. Neq; enim terra ipsos eosdem fructus, neque animus hominum ipsam eandemq; virtutem suscipere potest.* Legem ita quoque naturæ humanę convenientem supremum & sapientissimum Legislatorem dedisse certum est, ut proinde, quæ, qualisve illa sit ex cognitione illorum, quæ humanæ naturæ congrua dici debent, haud difficulter cognosci possit, quemadmodum & *Cicero* (*d*) *à natura stirpem juris repetendam* censuit.

(*b*) de Leg. 9. f. 654.

(*c*) de Leg. & Iust.

(*d*) 1. de Leg.

§. 2. *Rationalis* & *socialis* hominis est natura; Rationalis est à Ratione, quæ μᾶλλον ἄνθρωπος, ut loquitur *Gregor. Nazianz.* (*e*) à qua unicè ad virtutem aptus est, & ob quam eidem *cum DEO cognationem quandam & simi-*

(*e*) Orat. 51. f. 740.

litudinem intercedere etiam gentiles docuerunt. Mens DEUS eſt, & mente quoque homo à DEO ad ſui imaginem initio rerum creatus, in hac quoque reliquias ejuſdem, quas ita vocamus, conſervat: vi rationis etiam intelligere & dijudicare poteſt uti alia, ita quoque juſta & ſancta, honeſta item à turpibus diſcernere, eaque quæ ſibi convenientia videntur libere appetere, honeſtè etiam vivere, & ad divinam ſanctitatem ſe conformare: *τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ἢ μόνον μετέχειν τοῦ θείου τῶν ἡμῖν γνωρίμων ζώων, ἢ μάλιστα πάντων, hominum genus aut unum ex omnibus animalibus nobis cognitis divinitatis particeps eſſe, aut omnium maximè*, dixit hinc *Ariſtoteles*; (f) & *Cicero* (g) *ratione*, ait, *unà præſtamus belluis, per quam conjectura valemus, argumentamur, refellimus, diſſerimus, conficimus aliquid, concludimus*. Hæc etiam, eodem judice, (h) *benè adhibita cernit quid optimum*. Et ob hanc naturæ ſuæ rationalitatem homo cum ſit agens morale, actionibus etiam ejus humanis non poteſt non ineſſe aliqua moralitas.

(f) l. 2. de Part. Anim. c. 10.

(g) 1. de Leg.

(h) 4. Tuſcul.

§. 3 Ratio hæc homini propria non cadit in beſtias, quibus intellectum ſacra Scriptura denegat (i), quibus etiam nulla voluntatis libertas competit: jam verò *αἱ μετὰ λόγου δυνάμεις πᾶσαι τῶν ἐναντίων αἱ αὐταί· αἱ δὲ ἄλογοι, μία ἑνός, potentia cum ratione, omnes eædem contrariorum ſunt: irrationales verò una unius*, ſecundum *Ariſtot.* (k) Anaxagoras equidem, teſte

(i) Pſal. 32. 9.

(k) 9. Metaph. 2.

teste eodem, (l) ἐν ἅπασιν ὑπάρχειν νοῦν τοῖς ζώοις, καὶ μεγάλοις, καὶ μικροῖς, καὶ τιμίοις, καὶ ἀτιμοτέροις, *in omnibus intellectum inesse animalibus, & magnis & parvis, & honorabilibus & inhonorabilioribus* statuit; quod & aliis etiam tam olim, *Porphyrio*, (m) qui ex mente *Pythagoricorum* πᾶσαν ψυχὴν, ᾗ μέτεστιν αἰσθήσεως καὶ μνήμης λογικὴν esse contēdit; quàm hodiè, ita visum fuit, quibus melius sapit *Seneca* (n): *Ratio perfecta proprium hominis bonum est: cætera illi cum animalibus satis communia sunt.* Unde etiam à bestiis actionem propriè dictam proficisci posse non concedit Philosophus (o): οὔτε ἀψύχων οὐθὲν λέγομεν πράττειν οὔτε τῶν ἐμψύχων ἔξω ἀνθρώπων, *nullum inanimatum agere dicimus: neq; etiam animatum, præter hominem.* Causam mox addit: ἀρχὴ δ' ἐστὶ πράξεως καὶ σπουδαίας καὶ φαύλης, προαίρεσις καὶ βούλησις, καὶ τὸ κατὰ λόγον πᾶν, *principium actionis tam bonæ quam malæ, est consilium & voluntas, & quicquid ad rationem tendit.* *Fortia* etiam *bruta vocari* posse *Plato* negat (p). Ludunt denique qui religionem bestiis, & quidem elephanti tribuunt, quibus saniora tradit *Lactant.* (q) *Cui nullum est animal præter hominem, quod habet aliquam notitiam* DEI. *Solus enim sapientia instructus est, ut religionem solus intelligat. Et hæc est hominis atque brutorum, vel præcipua vel sola distantia.* Solertiam interim animalium naturalem, quam *Plutarchus* peculiari libello prosequitur, non negamus.

(l) 1. de Anim. c.2. t.24.

(m) de Abstin. ab Anim. l.3 n.1.seqq.

(n) Epist.76.

(o) 1.M.Moral. c.12.

(p) Lach. f.251.

(q) de Ira Dei c.7.ad.c.14.

Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, & opertum milvius hamum.

(r) Epist.1,16. Canit *Horatius* (r) Non tamen propterea quidam rationis proprie talis gradus illis tribuendus est, quia quicquid agunt, beneficio sensuum interiorū debent. Nam ἐν τοῖς ἄλλοις (s) 3. de Anim. t.48. ζώοις οὐ νόησις, οὐδὲ λογισμός ἐστιν, ἀλλὰ φαντασία, sicut *Arist.* loquitur (s). φαντασία sc. αἰσθητικὴ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις, ἡ δὲ βουλευτικὴ rationis est opus, ut se (t) t. 57. explicat Philosophus (t). Pollent ergò judicio sensitivo, quo æstimant, sibique aliquid esse conveniens colligunt bruta, non per διαλογισμὸν, sed beneficio memoriæ sensitivæ. Facta enim objecti externi in anima bestiarum impressione, ad varias cerebri partes impelluntur spiritus, qui si inveniunt speciem speciei delatæ similem, in memoria animantis hærentem, excitatam phantasiæ una cum speciebus connexis objiciunt, unde fit, ut ex memoria illorum quæ aliquando sensit, vel didicit bestia, & specierum tam recens receptarum, quam pridem jam impressarum, jam autem excitatarum, conjunctione & concursu eadem colligat, quæ olim jam sensu percepit.

§. 4. *Sociale* etiam homo animal est, à natura ad vitam socialem destinatus, eam scilicet, quam recta demonstrat, & præcipit (u) 1.Pædag. c.13 in nobis ratio, *præter quam quicquid est peccatum est*, secundum *Clement. Alexandrin.* (u) cui (x) Gorg.f.292. propterea ὥσπερ ἰατρῷ παρέχειν, *tanquam medico se committere Plato* (x) jubet, cuique propterea

pterea subjectum quoque, & conformem hunc societatis appetitum esse oportet, ut feratur homo in honestum, id minimè utile verè esse judicans, quod est ab honestate remotum, ceu eleganter hoc à *Cicerone* (y) disputatur: à virtute enim & honestate quicquid non est profectum, id omne, etsi nonnunquam aliter appareat, sociali vitæ inimicum est, cum ipsa virtus per se ad socialem vitam tendat, cujus Idem (z) *proprium hoc esse statuit, conciliare sibi animos hominum, & ad usus suos adjungere.* Hæc suum cuique tribui jubet, ne societas solvatur; itemq; perspici, quid in qualibet re personis, actionibusq; sit cõveniens; qui sit vel esse debeat in cœtu hominum ordo, quid sit quod deceat, in factis dictisque deniq; qui sit modus: sine ordine enim nulla multitudinis consociatio consistere potest, cui hunc adeò naturalem esse credimus, ut, quanquam homo per jacturam concreatæ perfectionis, & contractum morbum originalem, non ejusmodi, quali laborat, ferociam induisset, sed in statu integro permansisset, idem tamen introducendus fuisset: Hic ordo cum ad primum aliquod tendat, quod reliqua excipiat, naturaliter in vita sociali hinc nascitur *Imperium*, quod vinculum est societatis, & primum illud, à quo reliqua in multitudine, alias inanimata futura, dependent. Vidit hoc *Cicero* (a) quare *nihil*, inquit, *tam aptum*

(y) 3. Offic.

(z) 2. Offic.

(a) 3. de Leg. 9.

aptum est ad jus conditionemq; naturæ, quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam & hic DEO paret, & huic obediunt maria, terræq;, & hominum vita jussis supremæ legis obtemperat.

§. 5. Facit præterea hoc ad dignitatem hominis non parum, quod ad imaginem DEI primitus fuerit creatus: Etsi verò *Christianorum disciplina*, quænam genuina ejus fuerit ratio sola explicare possit, intuitu tamen illorum, quæ reliqua manserunt, miserè licet labe originali communi vitiata, sublimius quid cæteris animantibus, divinumque animal, imò DEI imaginem, hominem esse, DEUMq; imitari, eique conformari debere, denique ejusdem finem esse, Judæi, Gentilesque docuerunt.

§. 6. Antequam autem quid ex hac naturæ suæ conditione hominem deceat exponamus, probè illud considerandum, naturali morbo quodam & contagio, ut modo dicere incepimus, totum genus humanum miserè esse corruptum, perversum, totoque naturæ impetu ad turpè potius, quam honestum ferri, rectæq; rationis dictamine neglecto, belluinos potius, quam humanos sequi motus. Quod cum complures non observent, sed naturam hominis, prout post lapsum se habet, h.e. vitiatam, ejusque impetus

petus, consilium agendorum & omittendorum suppeditare, naturæq; lascivientis impetum ejus quod jure naturæ liceat, normam esse ineptiant, mirum non est, illos, quid lege naturali præceptum prohibitumve sit dicturos, dū suis sensibus, appetitui prurienti, & ferocienti, desideriisq; *faciendi quæcunq; & in quoscunq; libeat, & possidendi, utendi, fruendi omnibus, quæ velint & possint*, (b), auscultari volunt, periculosa, falsa & impia multa disputare. Cum enim incautè, & indistinctè de natura hominis loquantur, quasi ea vel planè non corrupta foret, vel naturalia, quæ fingunt, integra mansissent, & motus pravos à bonis non distinguant, graves & fœdos inde manare errores necesse est.

(b) Hobbius de Civ. c. 1. n. 10.

§. 7. Quanquam verò per lumen naturæ, sacrarum & divinarum literarum radiis non illustratum, de *natura humana per labem originalem contracta corruptione parum constet*, non tamen propterea, quando, quid hominis naturæ conveniat, quidve lege naturali liceat, eruere, quid jus denique naturæ nobis præcipiat exponere, hominemque eidem subjicere velimus, à lepra hac originali, quæ naturam nostram intimè pervasit, afflictisq; omnibus facultatibus hominem ad sinceræ pietatis officia penitus ineptum, ad civilia autem hujus vitæ negotia languidum reddidit, contrariis utrinque motibus

inditis

inditis, abstrahere licet. Nam cum malo connati habitus vitiosi homo naturali inclinatione ad turpe abripiatur, non quivis ejus motus, inclinationesve & impetus, juri naturali congruere, vel juris naturalis esse dici debent. Cumque ratio hominis vitio hoc infecta sit originali, hinc & ipsa haud rarò circa humana negotia perverse judicat, & ad errorem usque adeò prona est, ut se errasse non observet. Statum insuper hominis corruptio hæc naturæ multum immutavit, ita ut si corruptam hanc mortalium conditionem spectes, nonnulla jure naturali prohibeantur, quæ, si homo non fuisset lapsus, eodem non indigna fuissent. Nuditas sane, quæ, ut supra diximus, hodiè homini est pudori, & hoc nomine tegi debet, eidem in paradiso non fuit dedecori, quippe quæ sanctitatis & innocentiæ erat argumentum. *Nihil enim putabant velandum, quia nihil ducebant refrænandum*, dicente *Augustin.* (e) Necesse proinde est, ut cum alia secundum jus naturale hominis sint officia ante lapsum, & alia quæ ei ideò quia lapsus est conveniunt, alia denique quæ utrumque ipsius concernunt statum, eundemque obligant, in explicandis & cognoscendis secundum legem naturalem hominis officiis, etiam aliqua ratio ipsius corruptionis habeatur, ne quicquid homini placet, in quod sponte sua inclinat, & ad quod naturali motu

(e) 2. de Gen. ad lit. c. 1.

tu

tu abripitur, corruptoque ipsius genio conveniens est, id juris naturalis esse existimemus, cum & id quod malum est, naturæ vitio concupiscamus. Eleganter *Augustin.* (d) *nos libidinem*, inquit, *non naturale bonum*, *sed naturale esse malum dicimus.* Benè etiam JCtus Doctissimus *Wesembec.* (e) *Accersamus jus naturæ non ex naturalibus duntaxat inclinationibus, quæ in hac naturæ depravatione vitiosæ res sunt, supra quam à nostris intelligi potest Iurisconsultis, ut Ethnicis hominibus, quia non natura, quam integram & sacram putarunt, sed consuetudine prava homines peccare, & injustos esse arbitrabantur.* Quos tamen errare ipse *Plato* agnoscit, cui (f) homines φύσει ἀγαθὸς γίνεσθαι ὀ δοκεῖ *natura bonos fieri & esse non videtur.* Unde & *Pufendorff.* (g) *necessarium esse* judicat, *ut in disciplina juris naturalis homo consideretur, prout ipsius natura est corrupta, adeoq; prout est animal multis pravis cupidinibus scatens.* Etsi enim lex naturæ eadem semper maneat, mutata tamen hominis conditione, præcepta quoque complura particularia, mutatam istam conditionem respicientia, variare necesse est; non equidem quasi ipsum jus naturæ aliquam experiretur mutationem, sed quia ipsam rem, de qua jus naturale aliquid constituit, mutari contigit.

§. 8. Cæterum quanquam quanta qualisve sit Naturæ humanæ corruptio, & unde contagio hæc eandem infecerit, ex lumine naturæ

(d) Hypognost: 4.

(e) Paratitl. p. 34.

(f) in Menon. f. 20.

(g) Præfat. de Offic. hom. & Civ.

naturæ non constet, tractaturo tamen & investigaturo ex ipsa hominis natura, & illis quæ eidem conveniunt, ea quæ sunt juris naturalis, vitio verti non debet, quod hominem consideret, prout ipsius natura est corrupta; assumatque hæc ceu hypothesin alibi probatam. Nam ut taceam, rectè aliunde ea peti, si domi iste sit defectus, quæ certiori & accuratiori rei cognitioni inserviunt; constat sanè inter omnes, quod Gentiles de morbo, contagione & onere animæ molesto, facultatumque inferiorum cum superioribus pugna, & membrorum rebellione, conquesti fuerint. *Plato* certè hominem, quem (*h*) diversum quid à corpore, (ἕτερος, inquit, ἄρα ὁ ἄνθρωπός ἐστι τοῦ ἑαυτοῦ σώματος, *homo ergò à suo corpore aliud est*) & non aliud esse quam animam contendit, ἡ ψυχή ἐστιν ἄνθρωπος, *anima*, inquit, *est homo*, *natura esse bonum*, non solum (*i*) negat, sed & vitio corporis eundem perturbari, quo minus veritatem & sapientiam assequatur, contendit: ἕως ἂν τὸ σῶμα ἔχωμεν, καὶ συμπεφυρμένη ᾖ ἡμῶν ἡ ψυχὴ μετὰ τοῦ τοιούτου κακοῦ, οὐ μήποτε κτησώμεθα ἱκανῶς οὗ ἐπιθυμοῦμεν. μυρίας μὲν γὰρ ἡμῖν ἀσχολίας παρέχει τὸ σῶμα, *quamdiu corpus habemus, animaq; nostra tanto malo erit admixta, neque id quod desideramus benè consequemur. Impedimenta enim penè innumerabilia corpus prabet*, idem ait (*k*); qui etiam hominum mentes è superis in corpora descendentes amisisse dicit

(*h*) Alcib. a. f. 36

(*i*) Menon. f. 20.

(*k*) Phædon. f. 379.

cit (l) cognitionem DEI & boni, h. e. *Ideæ*, multisque tenebris obrutas esse, in quarum discussione, qua non tam amissa recuperatur, quam ignorantiâ sepulta eruitur sapientia & prudentia, summum bonum ponere non dubitavit. Cæcitatem mentis nostræ accusat *Aristotel.* (m) ὥσπερ, inquiens, τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων, *quemadmodum vespertilionum oculi se habent ad lumen dici, ita & intellectus animæ nostræ ad ea quæ manifestißima omnium sunt.* item *Lucret.* (n)

(l) l. 7. de Republ. f. 481.

(m) 2. Metaphys. 1.

(n) l. 2.

O Cæcas hominum mentes, ô pectora cæca!

Terentius (o) *Ingenium omnium hominum à natura proclive esse* dicit *ad libidinem.* Ita & à *Cicerone* (p) *animarum imbecillitatem* inter causas errorum numeratam leges. Hi gentium Sophi cum quæ hominis sint officia tractaturi, eundem ut natura proclivem ad omnis generis vitia supponunt, & de malo adjacente, quod senserunt, conqueruntur, quod tamen quale & unde esset ignorabant, nobis quoque quibus clarior exorta est lux, quin jure hoc observetur, ob causas supra traditas, dubium non est.

(o) Andr. Act. 3. sc. 3.

(p) 1. de Leg.

§. 9. Ut itaque *quid naturæ humanæ conveniens* sit explicemus, illud certum est, cum essentiæ rerum sint diversæ, & immutabiliter existant id quod per se sunt, non omnia sine discrimine, sed quædam tantum naturæ

hominis rationali & sociali, eiusque in hoc fundatæ, qua præ reliquis omnibus animantibus eminet, dignitati, congrua esse. Quemadmodum enim aliis rebus, v. c. igni, aquæ, vel ex animantium genere, equo, cani, bovi &c. plantis item, nec eadem, nec omnia sunt convenientia, ita quoque nec omnia, nec eadem quæ brutis congruunt, homini, ceu per naturam etiam agenti morali, convenire manifestum est. Naturæ enim rerum sicut ex diversis constant principiis, & sic inter se diversæ sunt, ita non omnia, sed certa tantum illis congrua esse possunt. Amor etiam raptusque similium, itemq; fuga dissimilium, sicut in *naturalibus* ubiq; viget, ita quoq; in *moralibus* convenientiam & disconvenientiam aliquam dari dubitari nequit: sic ut rationalis hominis natura, quæ qua talis moraliter agit, etiam qua talis alia sponte sua, & naturali inclinatione, ceu sibi per se congrua appetat & eligat, alia ceu sibi inconvenientia aversetur & fugiat. Sicut enim in naturalibus ordinatè omnia se habent, ita ut inter res ipsas aliquis vigeat ordo, qui etiam in illis, quæ istarum naturæ conveniunt, animavertitur, ita quoque in moralibus, quæ naturaliter sc. talia sunt, se rem habere negari non debet: quanquam enim alias in his, si secundum omnem latitudinem spectentur, multa ex instituto, & mutua conventione tantum vim quandam

mora-

moralem habeant, omnia tamen ex libero superioris beneplacito talia esse falsum est. Dantur enim & moralia, quorum ratio æquè est immutabilis, atque natura rerum: Justum sanè & sanctum cum sint de ipsa immutabili DEI natura, ita quoque quæ in homine ad illam divinam rectitudinem expressa sunt, per se, non opinione, talia esse oportet.

§. 10. Ubicunque itaque nobilior & præstantior datur natura, conditio, status, & agentis ratio dignitasque, ibi quoque nobiliora sunt principia, nobilior quoque ibi agendi datur ratio; quare & peculiari & nobiliori modo se habens convenientia rei alicujus seu objecti, & actus cum illo agente ibi detur necesse est. Quapropter cum homini conveniens id dici debeat, quod ejus naturæ est congruum, in quantum illa à reliquis differt animantibus, convenientia hæc non quovis se habet modo, sed cum dignitate quadam est conjuncta, quæ oritur ex nobilitate agentis, quod ex ratione, divinæ sanctitatis & rectitudinis, & sic etiam moralitatis radio illustrata agit, qua quia cognoscere potest, qualis res, objectum, & actio circa illud sit, ideò quædam etiam per se & secundum suam naturam tali agente digna & indigna censeri debent. Cum verò dubium non sit, hominem rectè de rebus judicare posse, & de iisdem illorum naturæ

quoq; congruum ferre judicium, insuperq; & hoc quoq; verum sit, eundem intelligere posse, quid sibi, ceu rationali agenti sit conveniens, nisi eũ semper decipi dixeris, à quo tamen bestiæ sunt immunes, quæ inter id, quod suæ naturæ cõvenit, vel non convenit, pro cognitionis suæ ratione discrimen facere norunt; imò cum & idem æstimare etiam queat, quomodo in vita humana & sociali, quam ordinatam esse vult & humanitatis & socialitatis ratio, aliquid ad certum effectum æstimabilem ponendum valorem quẽdam sit habiturum, & sic humanæ naturæ & societati vel congruum vel disconveniens futurum, peculiari propterea & nobiliori modo aliquid homini, quam cæteris agentibus, convenire necesse est. Præterea cum homo agat ex cognitione per se non aberrante, sic eundem agere decet, prout rem cognovit, cum contra cognitionem agere, sit agere inordinatè. Unde cum inordinatè agere hominem non deceat, sequitur, quod quæcunque tali modo ab eo committuntur, eodem, ceu qui ordinatè agere potest & debet, ut indigna, ita quoq; ei incongrua dici debeant: Homini enim ut inordinatè agat convenire, nemo dicet. Ita Gentium Doctor *Paulus* Christiani hominis conditionem considerans, illos qui ex Gentilibus Christianæ Pietati initiati erant, ad sanctæ vitæ studium excitaturus, monet, *ἀξίως περιπατῆσαι τῆς κλήσεως*

ἧς ἐκλή-

ἧς ἐκλήθησαν, *ut dignè ambulent vocatione, qua vocati ſunt* (q). μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, καθάπερ καὶ (q) Eph.4.1.
τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν Θεόν, *non cum affectu concupiſcentiæ, quemadmodum & gentes, quæ non* (r)
noverunt (r) DEUM. 1.Thes.4.5.

§. 11. Ex hac dignitate agentis intellectualis, & quod ei hoc nomine dentur quædam per ſe cõgrua, oritur, ut infra prolixius docebitur, *moralitas*, in quantum nimirum illa in actum provenit ab ipſo agente, cujus ratione proinde *in æſtimabili valore* ponimus. Ex hoc enim quod aliquid homini convenit, & eo dignũ eſt, ſequitur, quod ei poſſit & debeat præcipi. Nihil autem præcipi poteſt homini, ut eo, ejuſdéq; ſtatu, & conditione dignũ, eidemq; conveniens, nihil etiam prohiberi, ceu ei inconveniens & eodem indignũ, niſi quoq; ut tale æſtimari poſſit; tum enim ſtatim aliquid morale eſt, quando eſt ob valorem *æſtimabile* ut dignum & cõveniens naturę. (s)
Æſtimabile autem cum *Cicerone* (s) *appellamus id, quod aut ipſum ſecundum naturam ſit, aut* 3. de Fin.
tale quid efficiat, ut ſelectione dignum propterea n 28.
ſit, quod aliquod pondus habeat dignum æſtimatione.

§. 12. Cum verò ut cuilibet animanti, ſimul atq; natum eſt, ſui conſervationis ſtudiũ ineſt, ita homo quoq; ſibi ad ſe, ſtatumq; ſuum conſervandum commendetur, patet hinc, ea illi congrua dici oportere, quæ eundem in *eſſe, vivere & operari* rationali & ſociali conſervant; cumque hæc per virtutis & honeſtatis

ſtudium perficiantur, in eodem quoque id quod naturæ humanæ conveniens dici debet, poni debere neceſſe eſt. At ſi turpiter & contra rationem vivit homo inſtar bruti, hoc ipſo in ſtatu rationali ſe non conſervat, cum illa tantum ſecundum naturam hominis qua rationalis & ſocialis eſt, dici debeant, quæ rectæ rationi, ejusque dictamini, & vitæ ſociali ſecundum rectam rationem inſtituendæ, ſunt conſentanea, quæ non niſi juſta & honeſta eſſe poſſunt: non enim niſi juſtè & honeſtè vivendo vitam rationalem & ſocialem vivere poſſumus. Cumque natura hominis vere, non opinione tantum, rationalis & ſocialis ſit, ea quoque quæ juſta & honeſta ſunt, per ſe etiam & verè, non opinione, homini conformia dici debent. Voluerunt hoc *Stoici*, qui hominem *naturæ ſuæ convenienter* vivere debere præcipientes, divinæ voluntati ſe ſubjiciendum, virtutique operam dandam eſſe docuerunt, ceu prolixius à *Lipſio* (*t*) explicatur. Hominem enim operam virtuti dare, ipſius naturæ ita conveniens eſt, ut, quemadmodum *Cicero* (*u*) loquitur, *non ſit quiſquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus, ad virtutem pervenire non poſſit.* Unde & *ſupervacuum eſt*, inquit *Seneca* (*x*), *in quod imus, impelli. quemadmodum nemo in amorem ſui cohortandus eſt, quem cum naſcitur*

(*t*) Manud. ad St. Ph. p. 186. ſeqq.

(*u*) 1. de Leg.

(*x*) 4 de Benef. c. 17.

scitur trahit: ita ne ad hoc quidem ut honesta per se petat. Placet suapte natura: adeoq; gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis, probare meliora. Non de conscientiæ angore homines quererentur, nisi commisso scelere vim quandam naturæ suæ intulissent: Non haud rarò improbarent ea, quæ affectuum impetu abrepti perpetrarunt: non moratiores inter homines, imò integræ gentes, circa primas vitæ humanæ regulas consentirent: non denique discrimen aliquod honestorum ac turpium assererent, quanquam prurientis & lascivientis naturæ impetus aliter illud eos explicare cogat, nisi tale dari, honestumque homines decere, licet illud haud rarò hoc nomine appellent, quod tale minimè est, ipsa natura dictitaret, & ceu sibi conveniens postularet. Quare sicut alia agentia ad id quod sibi conveniens est instinctu naturæ feruntur, ita hominis natura per se ad id quod sibi conveniens, & se dignum, rectæque rationi congruum est tendens, virtutis quædam fundamenta ponit, quæ si adolescerent, nec aliunde accersita malitia ea sopiret, oppressaq; teneret, nec etiam ob morbum aliunde contractum natura langueret, ad ipsam virtutem nos illa duceret. οὐκ αὐτοφυεῖς αἱ τῆς ψυχῆς ἀρεταὶ οὐδὲ αὐτόματοι, ἀλλὰ προεξεργάζεται μὲν τι καὶ ἡ φύσις, ὅσον ὑποβάλλειν κρηπῖδα ὀλίγην μεγάλῳ τειχίῳ, ἢ τρόπιν μικρὰν ὑψηλῇ ὁλκάδι, ait Maxim. Tyrius (y)

(y) Dis. 37. p. 216

virtutes animi nativa minime sunt, non fortis etiam alicuius: verum tantulam operam à natura suscipiunt, quantum satis est ad struendum valido muro fundamentum, aut oneraria navi carinam.

§. 13 Cæterum fundamentum hujus convenientiæ, & quod ea quæ naturæ humanæ conveniunt, sint in honestate & virtute posita, non est *opinio*, sed desumitur ab ipsa natura hominis, in cujus principiis, quod hoc, non illud, eidem conveniat, fundatur; scilicet quia per essentiam homo est rationalis, ergò id quod est irrationale, homine est indigunm. Id autem irrationale censeri debet, quod recta hominis ratio divinæ sanctitatis radio illustrata minus probat, & à quo eadem ceu sibi incongruo abhorret. Aut enim rectè de re, qualis in se sit, judicare potest hominis intellectus, aut eum semper falli continget: hoc cum absurdè asseratur, cumq; seipsum, qui temere hoc asseveraverit, propriæ vanitatis seipsam accusantis, & erroris convincentis arguat, illud concedatur necesse est, verũ scilicet competere intellectui humano circa nonnulla judicium, recteq; eundem judicare, adulteriũ v.c. ceu rationi incongruum & humanæ naturę inconveniens esse. Constat præterea de rectitudine hujus judicii ex *lucta morali interiori*, quæ inferiore appetitu rationi contranitente in homine exoritur. Cum enim perfectius judicet intel-

intellectus humanus, intimiusque cognoscendo naturam objecti penetret, quando diversum sentit à sensuum judicio, quod cum brutorum æstimatione irrationali convenit, præcipitque ea, contra quæ appetitus inferior sensitivus nititur, judicium intellectus humanum verum, illudque quod faciendum censet, hominis naturæ conveniens esse necesse est. Convenientiæ hujus signum est gaudium vel ægritudo, quæ factum aliquod consequitur, prout vel juxta, vel contra rationis dictamen illud fuit commissum. *Aristot.* enim (z) ex interna ista lucta morali signum peti jubet, unde quis cognoscere possit, se virtutis habitum contraxisse.

(z) 2. Ethic. c. 3.

§. 14. Cognoscitur nimirum hæc convenientia simili modo, quo alias, quid rei sit conveniens vel inconveniens investigare solemus. Cumque id conveniens rei dicatur, ad quod illa per se fertur, quodque eandem perficit, in statu & conditione naturali conservat, nec fini ipsius contrariatur, ex hominis quoq; officio & fine, ad quem ille est cōditus, quid ipsi sit conveniens dicendum, cognosci & erui debet. Unde cum *omne genus nostrum ad communionem natum sit*, ut *Hierocles* (a) ait, nec verò ut præclarè à *Platone* (b) scriptum esse dicit *Cicero* (c), *nobis solum nati simus, ortusq; nostri partem patria vindicet, partem parentes, partem amici*, ut sic inter homines

(a) Stob. serm. 45.
(b) Epist. 9.
(c) 1. Offic.

 mines

mines hominum artibus, opera & facultatibus ſocietatem devincire debeamus; quicquid adhunc finem facit, id naturæ hominis eſſe conſentaneum rectè dicitur. Cumq; homo, qua ejus natura à brutis differt, virtute perficiatur, *cujus laus omnis*, judicio *Ciceronis* (d) *in actione conſiſtit*, quæque οὐ λόγος, ἀλλ' ἔργον, καὶ πρᾶξις ἐν κοινωνίᾳ, καὶ χρῆσις βίῳ πολιτικῷ, *non in verbis, ſed in opere, & actione in communione ſeu ſocietate & uſu in vita civili* poſita dicitur à *Maxim. Tyr.* (e) illaque ſit finis hominis, quem ratio unicè intendit, & medium, quo homo in ſtatu hominis feliciter conſervatur, hominique ita propria, ut ſi contra rectam rationem malitioſè quis egerit, conſcientia reclamet, hominem injuſtum tacito verbere flagellet, perpetuoque metu torqueat, & proinde turpia facta in ſuo ordine æque ſint naturæ humanæ inimica, atque venenum & morbi corpus affligunt, rectè hinc colligitur, ea quæ honeſta ſunt, naturæ humanæ convenientia, quæ vero ſunt turpia, minus talia dicenda eſſe. Innoteſcit præterea actus convenientia ex conditione objecti, prout nimirū agens vel convenienti, vel inconvenienti quadam ratione agendi ſe circa illud gerit, ex ratione finis etiam, aliarumq; circumſtantiarum, à quibus bonitas & malitia moralis actui infunditur.

(d) 1. Offic.

(e) Diſſ. 5. p. 32.

§. 15. Cæterum quanquam complura per naturam ſuam ita ſe habeant, ut humanæ naturæ

naturæ, quoad ea quibus a cæteris differt animantibus, ejusq; excellentiæ & dignitati conveniant, vel non conveniant, qualia sunt ea, quæ per se non à libera demum impositione, & alterius ita judicantis arbitrio sunt bona & mala; dantur tamẽ multa quæ dicuntur homini convenire ex ratione istius status in quo vivit, muneris quo fungitur, dignitatis in qua est constitutus, & officii quod gerit; quæ sicut pleraq; ex instituto humano orta sunt, ita quoque quæ illis conveniunt, hominem quoque non simpliciter, sed sub certa ratione, vel muneris, vel status, vel dignitatis, decere censenda sunt. Quæ priori modo homini conveniunt, aliter se habere nequeunt, nulli mutabilitati obnoxia, cum humana natura, ejusque dignitas, excellentia, sit immutabilis: non item quæ posteriori modo hominem concernunt, mutato quippe fundamento, statu scilicet, officio, ea quæ pridem erant congrua, talia esse desinunt. *Nihil enim*, inquit *Seneca* (*f*) *per se quemquam decet: refert, quid, cui, quando, quare, ubi, & cætera, sine quibus facti ratio non constabit.*

(*f*) 2. Benef. 16.

§ 16. Hæc quæ homini ita conveniunt, dupliciter se habent: vel enim sic sunt cõgrua, ut simul sint sum̃e necessaria, ita ut aliquid sit simul πρέπον, δίκαιον, ἀναγκαῖον. quod enim necessarium est necessitate morali, & ex positione causarũ moraliũ, fit hoc ipso πρέπον: vel se habet ex convenientia citra necessitatem moralem

ralem, quanquam ad bene esse morale pertineat, ornatumque quendam superaddat, etsi ejus omissio per se turpis non sit, id quod *Hippiæ* apud *Platon.* (g) esse ipsum τὸ καλὸν, *pulchrum, quod in rebus & actionibus est, videtur.*

(g) Hipp. f. 109.

Utraque convenientia alias sub *decori* nomine prædicatur. Dicitur hoc *Ciceroni* (h) esse id, quod *consentaneum est hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus à reliquis animantibus differat*, cujus proinde etiam principia non nisi ex ipsa naturæ nostræ conditione petenda duxit, quæ cum eadem omnibus sit, ita ut si homines, quando secundum naturam rationalem viverent, similes in virtutis studio essent futuri, id quod *per se* decorum est, apud omnes quoque idem esse debere, sequitur. Diffundit hoc se per totam vitam humanam, in omnia hominis & civis officia, etsi quod ad ea quæ sunt libertatis humanæ, & ad *bene esse morale* pertinent, pro morum diversitate, & recepta consuetudine decori ratio apud gentes plurimum variet. *Pleraque*, inquit *Cornel. Nep.* (i) *nostris moribus sunt decora, quæ apud Græcos turpia putantur: quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? aut cujus materfamilias non primum locum tenet ædium, atq; in celebritate versatur? quod multo aliter fit in Græcia.* Cui proinde mori, nisi honestati repugnet, se accomodare tenetur omnis is, qui in ista regione, ubi mos ille receptus

(h) 1. Offic.

(i) Prol. 6.

est.

est, vivit. Qua in re tamen id debemus dare operam, ne aliquid contra id quod per se honestum est committamus: Vitio enim potius quam laudi verti debet P. *Cotono*, Collegii Claromontani Rectori, quod Senatui Parisiensi, quid si Romæ esset, de libello *Santarelli*, quem de *Potestate Papæ* scripserat, *judicaret*, quærenti, pro se & sociis, teste *Grammondo*, (k) ita responderit: *Mutaretur nobis cum cœlo animus, sentiremus ut Romæ*, Quanquam enim nostris moribus aliis non debeamus esse molesti, honestatis tamen ubiq; decet habere rationem.

(k) Hist. Gall. l. 15. p. 675.

§. 17. Fundamentum denique ejus quod personæ est conveniens, potest esse *status* ipsius tam *publicus*, quam *privatus*. Non enim eadē homini in Ecclesiastica & Civili dignitate constituto conveniunt, sed alia isti, alia huic, quæ ex ipsa muneris intimiori ratione, rerum agendarum, & negotii, & objecti indole, circumstantiis etiam erui, & dijudicando cognosci debent. Nec quæ civis in Republica dicere & facere potest, ea quoque peregrino, vel cuivis incolæ, loqui vel committere convenit: discipulus qui sub Magistro vivit, adstrictior tenetur, quam si eodem remoto, res ipse suas postea liber agit. Regi qui sub tutore agit, non illud licet, quod, quando postmodum ipse imperat, nemine prohibente agere potest. Alia quoque conveni-

veniunt ratione loci in quo ſumus, cum in quovis loco ea facere, quæ domilicitè & honeſtè fieri poſſunt, decori ratio prohibeat. …tas etiam, quare hæc vel illa non ita con… …tanea dici debeant & poſſint, rationem ſubminiſtrat: alia enim ſunt pueri, alia juvenis, alia viri negotia & actiones, ut proinde rectè apud *Tacit.* (l) Arruntius *non eadem omnibus decora* dixerit. Unde & *Alexander Parmenioni* (m) pecuniam pro captivis ut acciperet ſuadenti, *& ego*, reſpondit, *pecuniam quam gloriam mallem, ſi Parmenio eſſem. Nunc Alexander, de paupertate ſecurus ſum, & me non mercatorem memini eſſe, ſed Regem.*

(l) 6. Annal. 48

(m) Curt. 4. 11. 14.

§. 18. Cæterum quemadmodũ id quod hominem ex naturæ ſuæ conditione decet, in ipſa natura humana qua rationalis & ſocialis eſt, & ſancta eſſe debet, ſuæ convenientiæ rationẽ habet, ita ſicut omnibus eadem eſt natura humana, ſic quoque quæ omnibus ſunt convenientia dantur: videas hinc etiã homines ex rationis dictamine eadẽ probare ceu honeſta, eademq; improbare ceu turpia, non ſigillatim ſpectatos tantum, ſed integras etiã nationes. Sic enim *Hieronym.* (n) *iſta lex*, inquit, *quæ in corde ſcribitur omnes continet nationes, & nullus hominum eſt, qui hanc legem neſciat: unde omnis mundus ſub peccato, & univerſi homines prævaricatores legis ſunt, & idcirco juſtum judiciũ DEI eſt ſcribentis in corde generis humani, quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.*

(n) T. I. opp. ad Algaſ. q. 8.

§. 19.

§. 19. Sic denique etiam ex ipsa naturâ hominis, quid eundem deceat, explicatum ivere *gentiles*. Ex hoc, quod est *ratione praeditus*, ita disputat *Arrian.* (o) τί ἐστιν ἄνθρωπος; ζῶον, φησὶ, λογικόν. εὐθὺς ἐν τῷ λογικῷ, τίνων χωριζόμεθα; τῶν θηρίων, καὶ τίνων ἄλλων; τῶν προβάτων καὶ τῶν ὁμοίων. ὅρα οὖν μή τι πῶς ὡς θηρίον ποιήσῃς. εἰ δὲ μὴ, ἀπώλεσας τὸν ἄνθρωπον, οὐκ ἐπλήρωσας τὴν ἐπαγγελίαν. ὅρα μή τι ὡς πρόβατον. εἰ δὲ μὴ, καὶ οὕτως ἀπώλετο ὁ ἄνθρωπος. τίνα οὖν ποιοῦμεν ὡς πρόβατα; ὅταν τῆς γαστρὸς ἕνεκα, ὅταν τῶν αἰδοίων, ὅταν εἰκῆ, ὅταν ῥυπαρῶς, ὅταν ἀνεπιστρέπτως. ποῦ ἀπεκλίναμεν; ἐπὶ τὰ πρόβατα. τί ἀπωλέσαμεν; τὸ λογικόν. *Quid est homo? animal*, inquit, *rationis particeps. Iam rationis usu, à quibus separamur? à feris. à quibus praeterea? ab ovibus, & aliis eius generis. Cave igitur, ne quid fortè instar ferae facias, alioqui hominem amisisti: non praestitisti officium. Cave, ne quid instar ovis, alioqui & sic homo periērit. Quae igitur agimus more ovis? cum ventris causa, cum propter inguinem, cum temerè, cum sordide, cum inconsideratè. Quo declinavimus? ad oves. quid amisimus? rationis usum.* (o) Epict. 2.9. p.190.

§. 20. Ex hoc, quod natura hominis sit *socialis*, quid eundem hoc nomine deceat, *Cicero* (p) ita infert: *Cum sic hominis natura generata sit, ut habeat quiddam innatum, quasi civile atque populare; quod Graeci* πολιτικὸν *vocant: quicquid aget quaeque virtus, id à communitate & caritate, atque societate humana* (p) 5. Fin.

(q) 1. Offic.

na non abhorrebit: & alibi (q): *homines hominum causa generatos esse* scribit, *ut ipsi inter se, alii aliis prodesse possent : in hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo; tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.*

§. 21. Monet quoque hominem sui officii tam *Christianorum*, quam *Gentilium* disciplina, intuitu *statura*. Sic enim *Lactantius* (r): *Parens noster ille unus & solus, cum fingeret hominem*, id est, *animal intelligens & rationis capax: eum verò ex humo sublevavit, ad contemplationem sui artificis erexit, quod optimè ingeniosus poëta* (s) *signavit*:

(r) l.2.c.1.

(s) Ovid.1.Metam.v.84.

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit cœlumq; videre
jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

(t) Arrian. in diss.6.

(u) 2. de Nat. Deor.

Eadem est *Epicteti* (t) Philosophia, *Ciceronis*, (u) aliorum: ex quibus memorabilia sunt præ cæteris verba *Ciceronis*, quo autore DEUS *homines primùm humo excitatos celsos, & erectos constituit, ut Deorum cognitionem, cœlum intuentes capere possent. Sunt enim è terra homines non ut incolæ, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque cœlestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet.*

ARTI-

ARTICULUS IIX.

De diſcrimine naturali honeſtorum & turpium.

Unde cognoſci poſſit,
An, & quomodo aliquid in ſe ſit honeſtum vel turpe?

§. 1.

ALiquoties diximus, & ceu quæſtionem probandam ſuppoſuimus, ea quæ ſunt Juris naturalis, ſtrictè ſcil. talis, intrinſecè bona eſſe, & quæ ab eodem prohibentur, intrinſecè mala audire. Operæ pretium ergò eſt, partim *ad veritatem* juris naturalis aſſerendam, partim ad ea quæ ſanctiſſima lex hæc præcipit & prohibet cognoſcenda, ut diſquiramus, in quo diſcrimen honeſtorum & turpium naturale fundetur, & unde proveniat?

§. 2. Complures olim illa tenuit mentis vanitas, quæ de diſcrimine honeſtorum & turpium diſputantur, legibus ex ratione ſtatus latis, & hominum opinione niti. Quæ ſi *Academicorum* & *Scepticorum* deliria tantum fuiſſent, ulteriore labore ſuperſedere poſſemus; aſt quod hodiè adhuc viri docti, & quidem qui Chriſtiano gaudent nomine, diſſentiant, prolixius propoſita diſcuti debet quæſtio. Diſputabimus autem contrà *Fernand. Vaſquium* (a), *ICtum præſtantiſſimum, & Phi-*

(a) C.l.1.c.27. n.9.ſeqq.

& Philippi Hispaniarum regis in summo prætorio Senatorem, cujus hi sunt flosculi: *Posset DEUS mentes hominum hac imbuere opinione, hancq; legem facere, ut hominem homini insidiari, aut necem inferre, vel quovis modo nocere nefas non esset, non magis, quam pecudes, armenta, feras, volucres, vel squameam turbam interficere.* Et nonnullis interjectis, *quis vetat,* inquit, *quin possit (sponte Dei) mutare sententiam quoad mutuas neces inter sese perpetrandas, existimareq; id liberum fasq; esse foreq; semper?* & rursus: *jus enim naturale nihil aliud esse, quam rectam rationem, ab ipsa nativitate & origine humano generi à DEO innatã supra edocti sumus. Ergò si ipsemet DEUS contrariam rationem à nostrà origine mentibus nostris imbuerit, id similiter erit jus naturale, & ut hoc jus naturale, quo utimur quoq; interdum abutimur, bonum est, quia à Deo nobis infixum est: Ita si contrarium nobis dederit jus, eo ipso quod ipse dederit, bonum erit.*

§. 3. Nec desunt qui scholam sequuntur doctores, quibus idem placet dogma, quos alii etiam sequuntur. *Samuel Rhetorfort (b).* Scotus ita philosophatur: DEI *beneplacitum, quatenus scil. à sapiente DEI intellectu determinatur, cujus est rerum essentias & essentiarum gradus effingere & constituere, est causa cur talis res habeat talem essentiam, & gradus entitatis, ut 5. & 6. ut non 7. non plures vel pauciores. Item cur immolatio Isaaci sit obedientia, cur homicidium, cur esus arboris scientiæ sit peccatum. Item cur res, quæ est futura, homo, hoc est, cur homo habeat talem*

(b) Exercit. Apol. pro grat. p. m. 345.

lem

lem essentiam, non aliam, est à DEI decreto liberè: at vero postquam res formaliter est, non habet talem essentiam ex DEI beneplacito, sed essentialiter. Postquam enim DEVS voluit ut hæc sit natura peccati, nempe quod sit, quod displicet voluntati DEI approbanti, tum si quæratur cur DEVS nolit peccatum, Respondetur non quia vult, sed quia est essentialiter malum: sed si ulterius quæratur, cur talis sit natura illius rei quæ est peccatum, & illius rei quæ est homo, recurrendum semper erit ad fontem altißimum, DEI æternum beneplacitum: quædam enim sunt bona & justa antecedenter ad DEI decretum, sed quomodo? poßibiliter nempe, ut possint fieri bona & justa, siquidem DEUS vellet; at vero nulla sunt bona actu & secundum debitum morale, ut debeant fieri, nisi quoniam DEVS ea fieri voluit, & decrevit.

§. 4. Philosophia *Thom. Hobbesii* hæc est, (c) quod quid sit furtum, homicidium, adulterium, ex legibus civilibus tantum cognosci contendat. *Non, inquit, omnis ablatio rei, quam alter poßidet, sed rei alienæ tantum, furtum est. Quid autem nostrum est, quid alienum, legis civilis quæstio est. Similiter, non omnis occisio hominis Homicidium est, sed ejus tantum, quem occidere vetat lex civilis; neq; omnis concubitus adulterium, sed is tantum, quem leges civiles prohibent.* & rursus: (d) *Regulas* boni & mali, justi & injusti, honesti & inhonesti *esse leges civiles, ideoque quod legislator præceperit, id pro bono; quod vetuerit, pro malo habendum esse*, affirmat. &

(c) de Civ. c.6. 16.

(d) ibid. c.12. n.1.

 paucis

paucis interjectis scribit: *Ante imperia, justum & injustum non exstitere; ut quorum natura ad mandatum sit relativa; actioq; omnis suâ naturâ adiaphora est. Quod justa vel injusta sit, à jure imperantis provenit. Reges igitur legitimi quæ imperant, justa faciunt imperando, quæ vetant; vetando injusta.*

§. 5. Opposita nobis, salvo aliorum judicio, placet thesis, quod sc. quæ naturaliter sunt honesta & turpia, & strictè talia, nec decori præcisè habent rationem, talia sint in se, & uti antecedenter ad divinum beneplacitum, ejusque impositionem, quam legis quidem, non item bonitatis & malitiæ naturalis in se & idealiter, ratione item veritatis suæ, non prout existit in rebus, consideratæ causam esse dicimus, ita multo magis antecedenter ad imperium civile. Antecedenter ad ipsum Deum quidē, divinamq; essentiam, in ordine causalitatis, vel ratione existendi nihil debet concipi; cum tamē aliquid possit esse objectum divini intellectus, quem ceu principium dirigens, ante divinā voluntatem, ceu principium imperans & exsequens, concipimus, quin idem ceu objectū divini intellectus, antecedenter quoque ad divinam voluntatem id quod est esse dici & concipi queat, dubium non est. Nimirum sicut homo est per essentiam agens intellectuale, & sic ex naturæ suæ ratione moraliter agere potest, ita prout esse ipsius naturale

rectè

rectè concipitur antecedenter ad divinam voluntatem, ut supra (e) probavimus, sic quoque esse morale, quod ab agente intellectuali est per naturam inseparabile, eandem antecedere rectè dicitur. Sicut itaque propositio hæc: *homo est animal rationale*, vera est citra divinæ voluntatis operationem, salva omni DEI perfectione eminentissima, ita quoque eâdem salvâ, blasphemia divini nominis, adulterium, turpia sunt, præcisa divina voluntate, imo præciso omni divino judicio. Et quia hæc talia sunt, sapientissimus DEI intellectus ex infinita perfectione omnia perfectissimè dijudicans, congruum, imo necessarium judicavit, eadem lege lata homini præcipere, quæ etiam præciso divino intellectu ei, ceu qui per naturam agens morale est, sunt inseparabiliter cõvenientia.

(e) artic. 3.

§. 6. Cæterum cum bonum & malum, honestum & turpe naturale, species sint τοῦ *esse moralis*, quæ sit *moralitatis in actionibus humanis origo* & *ratio*, ante omnia disquirendum videtur. *Morale* dicitur à more, *& est id quod ad mores pertinet*. (f) Cadunt verò hi propriè tantum in agentia ex instituto, & ratione prædita, cum bruta animantia benè vel malè morata nemo dixerit; addiscant licet assuefactione & felicis phantasiæ beneficio multa, morum tamen nomine illa nunquam venient. Poetico dicendi genere *Virgilius* (g) de apiculis canit:

(f) Philipp. à SS. Trinit. in Thom. 1. 2. t. 2. d. 18. dub. 1.

(g) 4. Georg.

Mores & studia & populos & prælia ducunt.

quibus morum imaginem potius, quam mores verè tales tribueris. De moribus autem quando loquimur, laxiori plerumque sensu, cum naturalem quam quis sequitur inclinationem, tum omne institutum, omnem item *vetustate probatam consuetudinem*, ut *Isidori* (h) verba habent, omnem etiam actionem ex tali consuetudine profectam, usus, ritus & modos agendi receptos intelligimus.

(h) 5. Etymol. c. 3.

§. 7. Hæc cum ita comparata sint, ut æstimari queant, & soleant, vel ad laudem, vel ad vituperium, & ob ea vel benè, vel malè homines audiant; quid hic valor, qui moribus hisce inest, & propterea etiam moralitas appellatur, sit, & unde oriatur inquirendum est. Difficilius dictu videtur, in quonam *formale* ejus quod *morale* dicitur consistit. *Scholasticorum* tricis equidem non intricabimur, quin tamen illos ceu viros subtili ingenio præditos audiamus, nihil obstat. Sciendum itaque secundum hos dupliciter res posse considerari, vel quales sint in *genere naturæ*, si sc. quoad naturam & entitatem suam physicam, ut loquuntur, spectantur, vel quales sint in *genere moris*, in quantum nimirum valor illis ad laudem vel ad vituperium æstimabilis inest; accidit hæc moralitas *esse rei naturali* tanquam distinctum quid ab eo, sicut mensæ v.g. præter *esse*

natu-

naturale, quod sc. sit lignum, accidit esse *artificiale*.

§. 8. Qui itaq; definituri *formale τȣ esse moralis*, cum (*i*) *Scoto*, *Durando* (*k*), *Suarez* (*l*), idem *morale* & *liberum* esse contendunt, & proinde moralitatem esse quid à libertate actus humani distinctum negant, non satis ea, quæ ad actum in genere morum, & in genere naturæ spectatum referri debent, discernunt, censentes actum humanum spectari in genere morum, quando consideratur ut liber, cum libertas potius ad actum humanum, in ordine physico consideratum, pertineat. Tum enim, ut *Becan.* (*m*) ex mente *Thomæ* scribit, actus humanus *censetur spectari in genere naturæ, quando præcisè spectatur, quoad suam naturam & entitatem*; jam vero actus humanæ voluntatis per naturam suam sunt liberi, ceu à libera voluntate liberè eliciti. *Tanneri* (*n*) ratio, existimantis *libertatem* esse *id, quo solo posito, reliquis etiam omnibus per mentis operationem præcisis, actus est moralis, & & quo sublato talis esse desinit*, non stringit: libertas enim est id, quo posito demum actus *moralis fieri potest*, cum sit fundamentum potius, & ratio propter quam rei talis valor, quem *τὸ morale* infert, insit, & τῷ *esse rei physico τὸ esse morale* accidere queat. *Scholastici* dicerent actum liberum esse moralem, non in sensu formali, sed causali.

§. 9. *Gabriel Vasquez* (*o*) formaliter *esse morale*

(*i*) 2. dist. 40. q. unic.

(*k*) 2. dist 38. q. 1. n. 5. f. 218.

(*l*) l. 12 de grat. c. 3. n. 7.

(*m*) Theolog. Schol. tom. 1. P. 11. p. m. 66.

(*n*) Theolog. Schol T. 2. disp. 2. q. 1. d. 2. n. 36.

(*o*) t. 1. in Thō.

disp.95.c.10. n.46.f.659. *rale* docet consistere in *regulabilitate per rationem*, & esse *relationem rationis rei alicujus ad legem præcipientem vel prohibentem.* Sic enim loquitur: *Dico totum genus moris* in relatione rationis *positum esse, ac proinde bonitatem in relatione convenientiæ, malitiam vero in relatione inconvenientiæ, aut oppositionis cum naturâ rationali consistere, quæ cum sint species generis moris, debent esse relationes rationis.* Quod si verum foret, τὸ *morale* ens rationis, & fictitium quid esset, id quod dici nequit; cum enim veras & reales habeat differentias, quibus additum species reales constituit, v.g. bonitatem & malitiam moralem, quas entia rationis esse nemo dixerit, quin in suo genere reale quid & positivum sit & dici debeat, dubium non est. Antecedenter præterea ad actum intellectus valor ille, qui esse morale constituit, rei inest; nemine enim cogitante, DEUS, parentes, & talia sunt objecta, circa quæ bene operari, & peccare possumus: unde patet, quod quanquã τὸ *morale* in actu, vel objecto aliquo residens, solo intellectu apprehendatur & cognoscatur, non tamen ens rationis propterea dici debeat, cum præter hoc, quod sic ab intellectu actu cognoscitur, suum adhuc esse habeat, nemine cogitante; verè enim dicimur boni vel mali, non per mentis operationem tantum. Et qui proximum nefariè interfecit, revera, non per mentis fictionem, homicida dicitur.

tur. Reapſe etiam & verè id, quod ita dicitur, peccatum eſt, non fictitium. Dignitatum quoque gradus, quibus in vita ſociali homines ordinantur, v. g. eſſe Doctorem, Conſulem, vel Principem, non ſine mentis operatione introducti ſunt, nemo tamen illos entia rationis purè objectivè talia eſſe dixerit.

§. 10. Quanquam vero entia moralia, quæ non ſunt entia rationis, dari non negemus, τῷ *morali* etiam ſuū *eſſe reale* tribuamus, ſumpto hoc vocabulo pro omni eo, quod eſt à parte rei, nec ens rationis, a. nihil; realitas tamen hæc non eſt phyſica, & in genere naturæ, ſed moralis & in genere morum. *Diminutum* hoc equidem *quid eſt*, ut loquitur *Philipp. à SS. Trinit.* (p) *ſi comparetur ad realitatem phyſicam*, non tamen merè putatitium & imaginarium quid eſſe dici debet. Tam enim bonitas, quam malitia, revera & à parte rei, citra omnem mentis operationem, actui ineſt; quiq; peccat contra Deum, revera peccare cenſendus eſt: & quanquam τὸ eſſe morale non ſit rei *phyſicum aliquod accidens*, in quantum tamen ſuas veras & reales habet differentias & affectionem, bonitatem v. g. imputativitatem, & poſitivum quid, & reale eſt; quemadmodum relationes prædicamentales, etſi non ſunt phyſica ſuorum fundamentorum & ſubjectorum accidentia, in quantum tamen ſunt relationes,

(p) l. c. p. 351.

 nes,

nes, entia quoque sunt realia, ceu prædicamentalia. V. g. si aliquis constituitur boni alicujus Dominus, nihil sanè physicæ entitatis ei accedit, nec tamen esse *dominum* est putatitium quid, nec ista facultas moralis, qua quis de rebus suis liberè disponere, iisq; ad suum libitum uti potest, pro imaginariâ habenda est. Non male doctissimus *Pufendorf* q) scribit: *Ad esse entium positivorum, in genere moralium sufficit, si ponant aliquid, ex quo vera affectiones resultent in eodem genere; cum, ut non entis nullæ sunt affectiones; ita cui certæ ac positivæ competunt affectiones, non ens simpliciter dici haut quaquam possit.* Quare cum esse morale qua tale nihil esse physici in se contineat, quin finitum agens quoque ejus causa esse, malum etiam in genere morum positivum quid dici queat, dubium non est.

(q) El. I. V. l. 1. def. 1. §. 5.

§. 11. *Philipp. à SS. Trinit.* (r) formalem rationem τῦ *esse moralis* ponit in ordine & respectu ad legem, seu regulam morum. *Moralitas*, inquit, *actus humani consistit in subjectione ejus ad regulas morum: & in eo resultat per hoc quod dicat respectum seu habitudinem ad objectum, cum subjectione ad regulas morum*, seu ad objectum ut determinatum per regulas morum, in quantum scil. à lege circa illud aliquid præcipitur, vel prohibetur. Sed pertinet hoc ad efficiens potius, quam ad formale moralitatis, duplicia enim sicut sunt moralia in philosophica latitudine de his loquen-

(r) in Thom. t. 2. disp. 18. d. 3. Concl. p. m. 352.

loquendo, alia naturalia, alia per impositionem superioris, & quæ lege talia sunt, qualia sunt v.g. cum, quæ in se indifferentia sunt, legibus positivis prohibentur vel jubentur; ita illa, moralia nimirum naturalia, antecedenter se habent ad omnes morum regulas actu propositas. Semper enim, nulla etiam id prohibente lege, malum est DEUM convitiis proscindere. si ne DEUM quidem dari vel maxime fingas, & æquè æternæ veritatis est propositio inde facta, atq; hæc: Homo est animal rationale. Quod si ergò antecedenter ad omnes regulas morum actu latas datur malum, dabitur quoq; ejusmodi morale. Accommodare huc liceat verba *Taciti*, (s) qui sic loquitur: *vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoq; sine pœnâ aut coërcitionibus agebant. neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquã exui æqualitas, & pro modestia ac pudore, ambitio & vis incedebat; provenere dominationes: multosq; apud populos, æternum mansere. Quidam statim, aut postquam Regum pertæsum, leges maluerunt.* de priscis Romanis *Sallustius* (t): *Ius bonumq; apud eos non legibus magis, quam natura valebat.* Sic cum apud *Germanos* olim, *Tacito* (u) teste, *plus boni mores valuerint, quam alibi bonæ leges*, moralia hominibus talia videri apparet, etsi per morum regulas qualia sint, non fuerit determinatum. §. 12. Alii

(s) 3. Annal. 26. 1. seq.

(t) Catil. c. 9.

(u) de Mor. Germ. c. 19.

§. 12. Alii formale actionis consistere dicunt in *imputativitate*, qua effectus actionis voluntati agenti potest imputari. Ita vir alias oris politissimi *Samuel Pufendorf.*(x) Nobis hæc imputativitas *τὸ morale* potius consequi, ceu affectio, quam illud ceu formale constituere videtur. Nam nisi actui, vel objecto ejus valor quidam insit, qui æstimari queat vel ad laudem, vel ad vituperium, imputativitas non habebit locum, cum nihil sit quod imputari queat; hoc autem existente, data insuper *προαιρέσει* & libertate agentis, actio jure imputabitur. Ex valore enim isto quem actioni inesse dicimus, actus proximè habet ut imputari possit, à libertate autem remotè, mediante valore, v. g. stuprum alienæ uxori illatum, ex se & facti ratione habet valorem, ut sit adulterium, & proin ut tale quid imputari possit; non autem sic valeret, nisi ex libera proficisceretur adulteri voluntate.

(x) l. V. l. def. 1. §. 4.

§. 13. Nobis itaque videtur *τὸ morale* secundum suum esse formale, in debita latitudine, consistere in valore quodam, quo aliquid ad certum effectum, pro objecti & agentis moralis ratione ponendum, valet; qui si talis est, qualem eundem esse ex debita ratione morali decet, bonus audit, sin minus, malus censetur. Videmus enim omni illi, quod morale dicitur, ejusmodi inesse valorem, quo valet, & valere æstimari

potest,

test ad certum effectum, qui vel præcipi vel prohiberi, vel laude vel vituperio dignus censeri potest, ita ut eo posito aliquid sit morale, eodem vero sublato tale esse desinat. Consentit nobiscum *Cicero*, (y) cujus verba supra (z) adduximus.

(y) 3. de Fin.

(z) art. 7. §. 11.

§. 14. Respicit hic valor, non tantum prout est in actu, sed prout etiam se tenet ex parte objecti, ceu fundamentum, *Rationem* & προαίρεσιν agentis. Sicut enim non quælibet forma quamlibet petit informare materiam, ita nec objectum, quod speciem dat actui, suum valorem moralem exerit in quemvis, & in quovis, sed in certo tantum actu. Homo v. g. etsi hunc valorem habeat, ut possit esse objectum cædis moraliter malæ, si tamen non ab agente rationali occidatur, sed à bove tantum cornupeta, ista cædes suum valorem in actu bovis non exeret, nec pro peccato morali à bove commisso poterit haberi. Et hanc putamus dari rationem posse, etsi nullam dari posse existimet Dn. *Pufendorf.* (a) *cur certi actus hominibus morales sint, qui brutis tales non sint*, ut proinde rectè apud *Ovidium* (b) Myrrha cecinerit:

(a) Elem. I. V. 1. d. 1.

(b) l. 10. M. Fab. 9.

—— —— —— coeunt animalia nullo
Cætera delicto, nec habetur turpe juvencæ
Ferre patrem tergo, fit equo sua filia conjux,
Quasq; creavit init pecudes caper; ipsaq; cujus
Semine concepta est, ex illo concipit ales.

cujus

(c) in Avib.

cujus rei ipsæ aves reddunt rationem apud *Aristophan.* (c)

Ὅσα γάρ ἐστιν ἐνθάδ' αἰσχρὰ τῷ νόμῳ κρατούμενα,
ταῦτα πάντ' ἐστὶ παρ' ἡμῖν τοῖσιν ὄρνισι καλά,

quia quæ apud homines lege turpia, apud aves bona & non turpia sunt, ob rationis sc. & libertatis in agendo defectum, quæ conditio est à parte agentis necessaria, ut moraliter egisse dici queat, imo moralitatis in actu existentis principium.

§. 15. Inest autem ut, licet prolixius, distinctius tamen difficultatem hanc tractemus, hic valor, secundum quem æstimatur τὸ *esse morale*, 1. *Ipsi agenti* in se, non in ordine ad legem considerato; multum quippe etiam remota lege refert, quis agat, item num ex habitu, an ex dispositione proficiscatur actus aliquis, quo etiam in statu, & officio persona vivat, dominusne an servus, civisne an peregrinus, juniorne an senior, item num mas, an fœmina sit &c. sic enim spectatá persona uti spectatur cum quodam valore, ita quoque actiones, in quantum à tali agenti morali *modo etiã morali*, h. e. liberè, eliciuntur, rectè dicuntur morales. Duo hinc quando faciunt idem, non est idem. Hinc *puerum ætas excusat, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas*, ut *Seneca* (d) loquitur, non item alium. In viro forti jure non reprehenditur, quod *Penthesileæ* apud *Dictym Cretens* (e) Græci objecerunt, quibus etiam pla-

(d) 3. de Ira c. 24.

(e) de Bell. Troj. in. 4. p. m. 170. sq.

placuit, uti *quoniam naturæ sexusq; conditionem superare ausa esset, in fluvium, reliquo adhuc ad persentiendum spiritu, aut canibus dilanianda jaceretur*, quam etiam *Diomedes omnium consensu pedibus attractam in Scamandrum præcipitavit.* Unde ad colum & telam remisit etiam *Andromachen* suam *Hector* apud *Homerum* (*f*): (*f*) Iliad. 6. p. 236.

— — εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε
Ἱστόν τ' ἠλακάτην τε. καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
Ἔργον ἐποίχεσθαι. πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει
πᾶσιν.

h.e. *in domum vadens tua ipsius opera cura, telamq; columq; & ancillas jube opus facere: bellum autem viris curæ erit omnibus.*

Non etiam eodem modo æstimari possunt actiones, aliaque quæ quis affectus vehementia abreptus, vel ex ignorantia commisit, & quæ ex plena & deliberata proficiscuntur ratione. ἐν τούτοις γὰρ καὶ ἔλεος, καὶ συγγνώμη, ὁ γὰρ τούτων τι ἀγνοῶν, ἀκουσίως πράττει. *In his enim misericordia & venia locum habent. Nam qui harum rerum aliquam ignorat, invitus agit*, ait *Aristot.* (*g*) quo vero minus libertatis in actionibus, eo minus moralitatis, hoc est valoris ad certum in vita sociali & humana effectum ponendum æstimabilis. (*g*) l. 3. Eth. c. 1.

§. 16. Fundatur II. hic valor, & τὸ *morale*, qui actui inest etiam in *Objecto*, sive re, quam agens sua actione attingit, sicut enim ab objecto actus suam bonitatem etiam vel malitiam moralem habet, ut infra docebitur, ita quoque

quoque ipsum esse morale; v.c quia res est aliena, hoc ipso ex τῷ *esse alienum* in se hunc habet valorem, ut certos circa se, ceu huic valori congruos deposcat actus, e.g. restitutionis ei faciendæ qui rei illius est dominus; alios vero, furti actum v.g. ceu sibi inconvenientes æquè per se respuat, atque in naturalibus animadvertimus antipathiam, cum par utrinque sit ratio. Sicut enim *nec arboris, nec equi virtus, quæ dicitur, in opinione sita est, sed in natura, ita honesta quoque & turpia sunt dijudicanda natura*, rectè scribit Cicero: (h) cui consentit ex recentioribus *Gabriel Vasquez* (i) *Quædam*, inquit, *ita ex se sunt mala, hoc est, ita inconvenientia naturæ rationali sicut est calor aquæ, ut facta cum illis circumstantiis naturá sua id habeant, non voluntate* DEI *prohibente, aut judicio judicante; nam sicut ex se, non ex voluntate, aut intellectu* DEI, *essentiæ rerum non implicant contradictionem, ut supra dicebamus, & una alteri contraria, & disconveniens est; ita etiam odium* DEI, *& perjurium, ex se non ex intellectu, aut voluntate* DEI, *disconvenientia sunt homini.* Cumque actus aliquis, quia tale objectum, rem alienam v.c. tali attingit ratione, scil. furti, ex objecti ratione, quia est res alterius, judicatur habere hunc valorem, quo destitueretur, si simili ratione circa aliam se exereret materiam, objecto quoque τὸ *esse morale* quoddam inesse, indeque in actum cum quo conjungitur, & morali qua-

(h) de leg. 1. p.165.

(i) in l. 2. Thō. disp. 97. c. 2. f. 658.

quadam ratione unitur, derivari, rectè statuitur. Illustratur hoc à *Thoma* (k) ita: *Actus conjugalis & adulterium, secundum quod comparantur ad potentiam generativam, non differunt specie*, sed quatenus comparantur ad diversa objecta. Impossibile enim est, ut objectum possit esse causa talis moralitatis in actu, nisi in se quoque talem valorem moralem contineret, ceu docetur etiam à *Philipp. a SS. Trinit.* (l).

(k) I. 2. q. 18. 5. ad tert.

(l) in 1 2. Th. p. 350.

§. 17. Ita ipse DEUS rationem legum suarum ex ipsa *objectiva moralitate* reddere, & in ipso objecto, ejusque qualitate & conditione qua tali, etiam moralitatem aliquam, prout ex objecti ratione nimirum se habere potest, fundari docere videtur. Prohibiturus enim incestuosam cum matre conjunctioné, ita sancit: (m) *Nuditatem matris tuæ non revelabis*, אמך הוא *mater tua ipsa: non revelabis nuditatem ejus.* Si itaque ex hoc etiam tibi prohibetur, ne tuam in matrimonium recipias matrem, quia *mater tua est*, patet, ipsam prohibitionis rationé ab objecto petitam esse, eidemq; etiam divino judicio talem inesse valorem, quo actus conjugales, ne circa illud exerceantur, ceu ei inconvenientes prohiberi debent: de qua re tamen alibi, DEO annuente, erit agendum. *Philonis* (n) interea elegantem addimus locum, qui ἀνοσιούργημα *nefandam impietatem* vocat, πατρὸς εὐνὴν τετελευτηκότος, ἣν ἄψαυστον

(m) Levit. 18. 7.

(n) de L. L. spec. f. 600.

ὡς ἱερὸν ἐχρῆν φυλάττεσθαι, καταισχύνειν· γέρας δὲ ϗ μητρὸς αἰδῶ, μὴ λαμβάνειν, τὴν αὐτὴν τῆς αὐτῆς υἱὸν ϗ ἄνδρα γενέσθαι, ϗ πάλιν τὴν αὐτὴν νῦν μητέρα ϗ γυναῖκα, ϗ τοὺς ἀμφοῖν παῖδας, τοὺς μὲν πατρὸς ἀδελφοὺς, υἱωνοὺς δὲ τῆς μητρὸς, ϗ τὴν μὲν ὧν ἔτεκε μητέρα τὲ ϗ μάμμην. τὸν δὲ ὧν ἐγγέννησεν, ἐν ταυτῷ πατέρα τὲ ϗ ὁμομήτριον ἀδελφόν, *conſpurcare defuncti patris thalamū cui maxima debebatur religio, matri nullam exhibere reverentiam, filium eundem & maritum fieri, matrem viciſſim uxoris nomen aſſumere, communes liberos patris quidem fratres, matris verò nepotes cenſeri. Hanc prolis ſuæ matrem ſimul eſſe ac aviam, illum filiarum patrem & germanum uterinum.*

§. 18. Ineſt III. hic valor, qui τὸ *morale* conſtituit etiam Fini. *Semper enim quod poſtremum adjectum eſt, videtur rem totam traxiſſe*, ut *Livius* (o) ait. Omnis itaque actus ex deliberata ratione ſuſceptus, cum ad finem ordinetur; *Scire namq; debet*, inquit *Seneca*, (p) *quid petat ille, qui ſagittam vult emittere, & tum dirigere & manu moderari telum*; à quo etiam elicitur, quique ad agendum agens movet, ut ſub illius intuitu, tanquam ſub *ratione ſub qua* edatur, ab illo tanquam à ratione formali quadam eandem accipit qualitatem, quam habet ipſe finis. Sicut enim hic honeſtus vel turpis eſſe poteſt, ita ſuum habet valorem, quo actus etiam, qui talem finem ſub iſta ratione intendit, afficitur & informatur

(o) l.27.c.47.
(p) Ep. 71.

matur, per istam quæ inter actum & finem, ceu formam moralem, dum sic agens ob finem, & sub istius finis ratione, operatur, intercedit unionem. Unde *Aristotel.* (q) εἰ ὁ μὲν, inquit, τοῦ κερδαίνειν ἕνεκα μοιχεύοι καὶ προσλαμβάνοι, ὁ δὲ προστιθεὶς καὶ ζημιούμενος δι' ἐπιθυμίαν, οὗτος μὲν, ἀκόλαστος δόξειεν ἂν εἶναι μᾶλλον ἢ πλεονέκτης, ἐκεῖνος δ' ἄδικος, ἀκόλαστος δ' οὔ. *Si quis quæstus causa adulterium committat, mercedemq; etiam ferat: alius autem cupiditate inflammatus idem faciat, dans etiam aliquid de suo, jacturamq; rei suæ faciens: hic quidem intemperans potius, quam plus sibi sumens & vindicans, videtur: ille autem injustus, at non intemperans.* Nec dissentit *Thomas*, (r) qui sic scribit: *cum quis fornicatur ut furetur, actus ille licet naturaliter sit intemperantiæ; tamen formaliter est avaritiæ.* quod nisi foret, nisi finis etiam actum moralem, imo bonum etiam & malum in genere morum, ceu principium formale redderet, finibus actiones non distinguerentur: formâ enim est, quæ dat esse, distinguere & operari. Finis sanè facit, *ut sæpe quos similitudo facti conjungit, causæ dissimilitudo discernat*, ut B. loquitur *Augustin.* (s) cujus eximia hic est Philosophia: *Sic*, addit, DEVS *filio non pepercit, sed tradidit ipsum pro nobis, & filius tradidit semetipsum, & Iudas Christum tradidit. Cur in hac traditione Deus est pius, & homo reus, nisi quia in re una quam fecerunt, causa nō est una, qua fecerunt?* Non *omnis qui parcit, amicus est, nec qui verberat inimicus.*

(q) 5. Ethic. 2.

(r) qq. disp. de Virt. q. 1. a. 10 ad 10.

(s) Ep. 48. ad Vincent.

Meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici. Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere. Et qui phreneticum ligat, & lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Id quod etiam *Thomas* (t) ita declarat: *In moralibus*, inquit, *forma actus principaliter attenditur ex parte finis, cujus ratio est, quia principium moralium est voluntas, contra objectum & quasi forma est finis; Semper autem forma actus consequitur formam agentis: unde oportet in moralibus, id quod dat actui ordinem ad finem, det ei formam.*

(t) II. 2. q. 23. a. 8.

§. 19. Eadem IV. reliquatum *circumstantiarum* est ratio. Harum enim in actibus moralibus dijudicandis accuratam quoque considerationem instituendam esse *Aristot.* (u) insinuat, quando quid *spontaneum* sit dicturus, ἑκάστων quoque, *singulorum in quibus est actus*, h. e. circumstantiarum, mentionem facit. Duplices autem cum sint circumstantiæ, aliæ *physicæ*, aliæ *morales*, prout nimirum actus vel *physice*, vel *moraliter* spectatur: illæ sicut delictum nec aggravant, nec minuunt, sed potius indifferenter se habent, nihilque in se continent valoris moralis, perinde enim est, qui trucidat alterum, num *sinistrâ manu*, an *dextrâ* id faciat, ita *morales* περιστάσεις cum actum sic vestiant, ut sub variis circumstantiis diversam quoque obtineat conditionem, plus etiã minusve in se contineat valoris, ideò vir prudens omnes

(u) 3. Eth. c. 1.

omnes etiam & singulas circumstantias perpendit, nihilq; faciendum esse ordinat, nisi prius expensis omnibus & singulis circumcumstantiis. Nam ut rectè B. noster *Schallerus* (x), cujus accurata de hoc argumento est Philosophia, scribit, *actus moralis non est aliquid simplex, sed consurgit ex concursu variarum conditionum, & circumstantiis vel convenientibus, & disconvenientibus, quibus sese variantibus etiam totus actus variatur.* Sicut verò contingit, ut circumstantia aliqua jam sit omninò necessaria, non ad *majus* vel *minus* tantum, sed simpliciter ad *honestatem* vel *turpitudinem*, jam vero ad *quantum* tantum faciat, ita illæ appellantur essentiales, hæ accidentales circumstantiæ: v. c ad naturam furti hoc est simpliciter necessarium, ut ista contrectatio sit *rei alienæ*, talis enim si res non sit, ista quoque contrectatio furtum esse nequit; ut vero aliquis subducat vel multum vel parum pecuniæ numeratæ, ad substantiam furti nihil facit, sed auget tantum, vel minuit quantum materiæ, variatq; actum secundum majus & minus, unde & illa *essentialis*, hæc *accidentalis* dici meretur.

(x) de circũst. Act. hum. disp. 1. §. 10

§ 20. Cognoscitur tamen ex his, quod *Circumstantiæ Accidentales*, quæ alias circumstantiæ *proprie*tales dici amant, suo valore morali tum non solùm tum destituantur, sed & eundem in ipsum, qué circumstant actũ,

& cum quo uniuntur, infundant, ut proinde & à circumstantiis actui suum habeat esse morale. Plus enim valoris inest actui quo fur mille contrectat invito domino florenos, quam si unum tantum furetur, plus enim nocet, & major est injustitia in illo, quam in hoc facto, maneat licet eadem species, ceu quæ per magis & minus non immutatur.

§. 21. Imo non augent tantum valorem moralem, sed & novam valoris speciem actui haud raro superaddunt circumstantiæ: Sic enim furtum circa *bona sacra* commissum, ex hujus circumstantiæ consideratione, qua non communi, sed nova quadam & singulari ratione res est *aliena*, peculiarem acquirit inordinationem & valorem, cum modus operationis humanæ, ex hujus objecti hac singulari circumstantia vestiti conditione, qua scil. est res sacra, quod ob hanc actum quoque peculiari quadam ratione circa se ordinatum requirit, singulari etiam inordinatione fiat indebitus & incongruus; unde etiam non furtum simplex est, sed sacrilegium appellatur. Cæterum de his circumstantiis speciem mutantibus, non malè scribit judiciosissimus noster quondam D. *Schallerus* (y): *considerari illas posse formaliter ratione speciei quam addunt: & ita esse circumstantias essentiales, non accidentales; Vel subjectivè ratione actus, cui dant, & ita esse circum-*

stantias

(y) l.c. §.40.

ſtantias accidentales. Rationem eſſe, quia hæ circū-ſtantiæ non mutant ſpeciem, vel unam in aliam transferunt, ſed priori tantum ſuperadditur alia, haud ſecus ac in phyſicis forma accidentalis ſuperaddita ſubſtantiali, novam ſpeciem entis conſtituit, e.g. ſacrilegium non tollere furtum, ſed manere furtum, & dare tantum furto novam ſpeciem.

§. 22. Quanquam verò hæc ſic ſe habeant, ut, ſicut oſtenſum, humanis actibus ab ipſis quoque circumſtantiis aliqua accedat moralitas, ſemper tamen has actum moraliter afficere dici non debet; id quod fit, quando non ad ordinem moralem pertinent, ſed ceu conditio aliqua phyſica per accidens ad actum humanum concurrunt: ita ſi quis alterum interficit, ad rationem homicidii nihil facit, ſeu hora nona, ſeu decima id faciat, cum hæc temporis notatio ſit accidens tantum phyſicum; nec ad rationem intemperantiæ per ſe aliquid confert, ſeu prandii, ſeu cœnæ tempore edendo & bibendo quis excedat modum. Quæ cum ulterius à *Philippo à S S. Trinit.* (z) diſcuſſa ſint, id ſaltem adjicimus, quod etiam à B nostro *Schallero* (a) obſervatum vidimus: circumſtantias ſcil. etiam nonnunquam, non tam ratione ſui, quam *ratione alterius circumſtantiæ*, in quam illæ ſe quaſi diffundunt, actui conferre aliquam moralitatem, v.c. ut quis in die bis, prandii ſcil. & cœnæ tempore edat, per ſe moraliter non eſt neceſſa-

(z) in l. 2. Thō. p. 405.

(a) l. c. §. 67.

 rium,

rium, necessaria tamen est hæc circumstantia ex ratione temperantiæ ne homo semel in die edendo, vel modum excedat, vel per totum diem voret. Benè monet *Pythagoras*(b), Οὐδ' ὑγιείης τὴν περὶ σῶμ' ἀμέλειαν ἔχειν χρή. Ἀλλὰ ποτοῦ τε μέτρον, καὶ σίτου, γυμνασίων τε ποιεῖσθαι, μέτρον δὲ λέγω τόδ', ὃ μή σ' ἀνιήση. *Neq; verò negligenda cura est valetudinis; Sed modus adhibendus potioni, & cibo, atq; exercitationi. Fore autem optimum adsero, qui tibi molestiam non pariat.*

(b) in Aur.

§. 23. Afficit autem circumstantia actum, eique infundit moralitatem vel *positive*, vel *privative*; illud fit per circumstantiarum positionem, hoc per defectum circumstantiarum debitarum, qui quo est major, eo major in actu quoque est ordinatio, & moralis imperfectio. Habet nimirum privatio suos etiam in genere morum gradus, ita ut alia sit totalis, alia partialis, illa est perectum omnium ad honestatem requisitorum, hæc quando una deficit circumstantia, unde sicut *honestas, quæ tota est*, exoritur positis omnibus ad bene agendum requisitis, ita etiam perit sublata unica circumstantia debita, etsi non pereat statim ex defectu unius circumstantiæ *totum honestatis*, ceu quod demum cōtingit totali posita privatione. Partialis quando datur privatio, uti relinquitur adhuc quædam convenientia ad honestatem necessaria, ita etsi actus non sit bonus *simplici-*

pliciter, relinquitur tamen talis *secundum quid*; v.c. ex ratione objecti, vel alterius circumstantiæ, si desit bonitas ratione finis.

§. 24. Cæterum hic *valor*, quo aliquid sic est æstimabile, ut ad laudem & vituperium imputari, & ratio hujusmodi imputationis esse possit, oritur vel ex libera *superioris* impositione tantũ, vel fundatur in re ipsa relata ad agens ex prævia & deliberata ratione, non quidẽ quatenus hęc se per modum imperantis, sed cognoscentis habet, ejusq; cõditione & statu naturali, ante omnẽ voluntatis cujuscunq; superioris actũ. Ita *Deum colere*, rationem nececessariã, & per se, in ipsa divina natura habet; *honorare parentes* fundamentum habet naturale in hoc quod sint parentes, ita ut honore digni sint, nulla etiam hoc nomine lata lege, sic ut, quanquã etiam conditio & status mutabiliter rei competat, valor tamen hic moralis isti qualitati im̃utabiliter & necessariò insit. Illud contingit, quando res est in se indifferens, tum enim vel ex mero superioris arbitrio, penes quem est facultas, rei in se indifferenti talem valorem & vim moralem per legem tribuendi; vel etiam ex pacto & mutua conventione rebus, personis, statibus, actibus, & actionum circumstantiis moralitas quædam imponitur. Cum enim in vita humana & sociali omnia ordinatè & decenter sint gerenda. Nam φρουντέον μάλιστα τῆς εὐσχημοσύνης, *decoris*

cura

cura est maximè gerenda, ait *Clemens Alexandrin*. (c) determinandum hinc etiam atque definiendum est, quo pacto ordo & decor iste, quem dignitas naturæ humanæ postulat, conservari debeat. *Non enim eadem omnibus sunt decora*, uti *Aruntius* apud *Tacitum* (d) pronuntiant, quod & *Plinio juniori* (e) ita visum fuit: *quam multum*, inquit, *intereſt quid à quoq; fiat. eadem enim facta claritate vel obscuritate facientium attolluntur altiſſime, aut humillimè deprimuntur. Præterea faciendi aliquid, vel non faciendi vera ratio, cum hominum ipſorum, tum rerum etiam ac temporum conditione mitur.* Hinc ut vitæ humanæ ordo, & suus quem requirit decor asseratur, *nec*, uti non malè doctiss. loquitur *Pufendorf.* (f) *mortales hanc vitam ſine cultu, ſine more ad brutorum inſtar tranſigerent*, certos status, personarumq; discrimina, partim ipse DEUS, partim humana introduxit industria, illisque hanc tribuit efficaciam, ut cum ob necessitatem & decorem in vita humana & sociali, sine qua bene & beatè hæc transigi nequit, conservandum sint introducti, certa hinc oriantur officia, quibus cum adversus se, tum adversus alios, illi qui in tali statu vivunt obligantur. Hinc sicut ex tali impositione certus inest rebus & personis valor, & qui hunc consequitur æstimatio, ita sicut ille variat, sic quoque varia sunt personarum discri-

(c) 2. Pædag. c. 2.

(d) 6. Annal. 48

(e) 6. Epist. 24. ad. 27.

(f) de J.N.G. l. 1. 3.

discrimina, ad quæ designanda certis etiam *titulis* uti solemus, qui discrimina ista personarum, tam ratione status in quo sunt in vita sociali personæ constitutæ, quam ratione existimationis, in qua sunt apud alios ob suum statum, dignitatem, conditionem in qua vivunt, insinuant & exprimunt. Legibus hinc etiam multa præcipiuntur prohibenturve, alias in se nec bona, nec mala, sed hac tantum de causa, ut vitæ humanæ suus ordo, suus decor, & sua constet dignitas. Et hoc sensu si de eo quod dicitur morale, loquimur, etiam ceremonialia, in quantum nimirum ab eo qui præcipiendi jus habet præcepta sunt, erunt & poterunt moralia dici, quæ talia sc. sunt *ex impositione*, quæ tamen propterea *moralia absolutè loquendo*, præprimis quando moralia ceremonialibus contradistinguenda sunt, non benè dixeris.

§. 25. Cæterum non omnis moralitas quoad suum valorem dependet *ex impositione*, sive determinatione agentis liberi, seu divini seu humani, quam ab *Objecti* qualitate ad rationem relata, & *Fine* nonnunquam per se provenire, & *actionibus moralibus*, qua secundum *genus moris* considerantur, immutabiliter, & nullo ita ordinante, antecedenter etiam ad divinam voluntatem, inesse censemus. Aliam quippe dicimus esse *moralitatem*, quæ se tenet ex *parte objecti*, circa quod actus

aliquis

aliquis vel convenienti, vel inconvenienti quadam versatur ratione, aliam *ex parte finis*, aliam ex *parte agentis*, prout nimirum vel sciens, vel ignorans, vel *ἄνευ προαιρέσεως* vel *ἐκ προαιρέσεως* agit, aliam denique ex *parte circumstantiarum*; quæ omnia in ferendo de de actu humano, qualis sit in genere morum, judicio spectari debent. Nam ut moralis spectatus actus non est quid simplex, sed complexum quoddam, quod ex concursu objecti, finis, aliarumque circumstantiarum cum actu conjunctarum, exoritur. Objectum enim, finis, aliæque circumstantiæ, sunt quasi principia ex quibus una resultat moralitas.

§. 26. Et *Objectivam moralitatem* quidem I. quod attinet, quæ talis non est ex impositione & lege, illa non est ex ratione quadam physica resultans quid ex *esse objecti physico*, qua tali præcise; hoc enim si foret *nulla posset*, ut rectissimè infert *Pufendorfius*, (g) *ratio reddi, cur certi actus hominibus morales sint, qui brutis tales non sunt.* Ovis alieni gregis rapitur à lupo, & rapitur à prædone, ab illo sine delicto; *quomodo* enim ut quærit *August* (h) *sit reũ pecus, cum sit irrationale, nec ullo modo legis capax? sum*, inquit bos apud *Arnob.* (i) *animal mutum, naturæ meæ simplicitatem sequens, nec multiformium morum varietatibus lubricum*: non item ab hoc. *Fit equo sua filia conjux* (k), non

(g) I. V. l. 1. def. 2.

(h) in Levit. 19. quæst 74.

(i) 7. contr. gent.

(k) Ovid. 10. Metam.

non item homini, & tamen utrinque est filia. Quare considerandum dupliciter tale objectum spectari posse 1. secundum se. 2. ut respicit rationem proæreticam, & practicè rem cognoscentem. Priori respectu actu objecto non inest moralitas, ceu in cujus tantum potentia fundatur; ast quando cum hac, quæ objectum sic respicit, conjungitur ratio proæretica & practicè cognoscens, actuatur quasi, statimque consurgit illa moralitas.

§. 27. Cognoscitur ex hoc, *objectivam moralitatem* dici in respectu ad rationem agentis practicam, objectumque esse morale non aliter, quam prout coexistit ratio agentis, quod circa rem illam occupatur, practica & proæretica, ita ut quanquam aliquid in objecto detur, quod per se æstimatione dignum sit, illud tamen non actuetur, nec valor ille actu consurgat, & se exerat, nisi referatur ad agens rationale & liberum. Nimirum quemadmodum in albo oritur necessario & immutabiliter similitudo, si aliud album coexistit, ita ut impossibile sit duas esse albedines absque similitudine, hæcque necessario pereat, ubi alterum album, cui illud simile dicitur, sublatum fuerit; ita cum moralitas dicatur ex coexistentia & concursu plurium, objectum actu redditur morale, si ista circa illud actu concurrerint,

terint, & cum illo conjuncta fuerint. Homo v. c. in ordine ad alium hominem est objectum motale, non item in ordine ad brutum: unde quod ὁ ἄνευ νόμου καὶ προστάγματος ἀνελεῖ ἄνθρωπον, ἀνδροφόνος ἐστιν *qui nulla lege nullove mandato hominem occidit, homicida est*, ut *Plutarch.* loquitur (l) *ita ut nullius tam vilis sit sanguis, ut non manus inquinet*, dicente *Quintilian.* (m) quando vero fera eundem dilaniat crimine caret, id inde provenit, quia coexistit ibi ratio proæretica & practica objectum quale sit cognoscens, quæ hic abest.

(l) l. 2. opp. p. 93. Rom. q. 39.

(m) Declam. 291.

§. 28. Etsi vero intrinsecè dicat moralitas objectiva ordinem ad rationem, id tamen ad hanc præcise constituendam per accidens est, ut eadem sit in objecto, quod dicitur morale. Necessarius est respectus objecti, ut actu sit morale, ad agens aliquod rationale, & ad principium actuum humanorum, sive agens hoc ex prævia & deliberata ratione sit diversum ab objecto, seu cum eodem coincidat. Homo enim non ad hominem alium tantum, sed & ad seipsum relatus, sine scelere non potest interfici, & sicut non alium ita nec seipsum interficere potest.

§. 29. Cæterum ut sic citra superioris impositionem actualis valor in objecto consurgere possit, necesse quoque est, ut ipsum

ex

ex se sic se habeat, aptumque sit, ut posito isto respectu ad rationem practicam fiat morale. V.c. quando *res* est *aliena*, (etsi hoc vel illud actu alienum esse mere contingenter se habeat,) & sic sub Dominio alterius, ex hoc, & quia talis est, citra, & ante alienam impositionem sic illa se habet, ut ab eo, qui rem istam alienam esse cognoscit, citra furti crimen malo animo contrectari non possit; qui tamen valor non consurgit in tali objecto ad rationem practicam non relato. Bestia bestiæ non dat fidem conjugalem, unde cum differentiam non intelligat, & huic, & illi misceri potest, quicquid sit de *equis incestum detestantibus*, de quibus *Rorarius* (n), cum & *Aristoteles* de salacissimo hoc animali contrarium doceat. Ast quia Bathseba est uxor Uriæ, hinc ob fidem conjugalem ei soli datam, solus ille habet potestatem corporis illius, ex quo, nemine ita ordinante, sic per se habere se cœpit Bathseba, ut soli suo viro quoad consuetudinem conjugalem esset conveniens. Talis ratio in aliis objectis citra impositionem non datur.

(n) quod brut. animal. rat. utant. p. 96.

(o) 6. Hist. Anim. c. 22.

§. 30. Illustratur hæc ratio moralitatis objectivæ ulterius. Nimirum uti sub eadem ratione aliquid dici *proprium* & *alienum* repugnat, ita quæ ex hinc resultat moralitas qua talis necessaria est. Et sicut ratio *proprietatis* per se, præcisa cujuscunque ita definientis voluntate, infert tale jus

quo

quo res mea est, *alienum* autem dicitur, quod non ad me, sed ad alium pertinet: ita hinc naturaliter & necessario resultat moralitas, quæ cæteris unde ista cōsurgit principiis positis, ad omnem definientis voluntatem se habet antecedenter. Finge enim ad mentem *atheorum*, quod tamen ex judicio recte sentientium sine summo scelere dari non potest, non dari DEUM, vivere tamen duos tantum homines, pacto absque ullo, utiq; tamen hæ rationes τῦ *proprii*, & τῦ *alieni* immutabiles erunt, sicut æternæ veritatis est, triangulum tribus constare angulis, & vera consequenter, necessarioque se habens erit hinc exorta moralitas.

§. 31. Quanquam autem τὸ esse *morale*, quod in tali objecto fundatur, & ex tali objecto, positis cæteris moralitatis principiis exoritur, sit 1. ratione *existentiæ* contingens 2. etiam ratione separabilitatis ab objecto nonnunquam *mutabile*, quo minus tamen exorta ratio illa moralis in se, si ipsum esse & veritatem ejus præcise spectes, sit imutabilis, antecedenterq; ad divinam se habeat voluntatem, hæc non impediunt. Nam & triangulum 1 contingenter existit, quo minus tamen verum triangulum tres angulos habeat, ne Deus quidem efficere potest; cum in se necessario, & immutabiliter verum sit, triangulum, nec pluribus, nec paucioribus, quam tribus posse constare angulis.

Linea-

Linearum appositio ad certos angulos libera equidē est, & contingens, si tamen istę sic ponendę sunt, ut figura *re*, h.e. vere triangularis inde proveniat, ne aliter quidem, ex summa voluntatis perfectione, velle Deus potest illas sibi invicem apponi, quam ut tres tantū faciant angulos; id quod etiam de talibus, quę sunt *naturaliter moralia*, dici potest. Quāquam enim conjunctio principiorum moralium, & concursus variarum conditionum & circumstantiarum, ex quibus consurgit *moralitas*, sit quoad existentiam contingens, ad rationem tamen, & veritatem istius moralitatis, talis concursus, & talis cōnexio requisitorum in genere morum essentialium, immutabiliter, & perpetuò, præcisa etiam divina voluntate, est necessaria. 2. à triangulo quoq; hæc est separabilis figura, imūtabiliter tamen interim verum manet, triangulū in se tribus tantum posse constare angulis; ita & ab objecto ratio aliqua moralis est separabilis, quàm eidem mutabiliter convenire posse non nego, in se tamen interim illa semper manet immutabilis. Bathseba v. c. uxor Uriæ, ex hac objectiva ratione per se æstimabilis erat ceu inconveniens ad consuetudinem conjugalem, qua cum illa consuesceret David, nemine ita definiente, &, quādiu esset sub hac ratione morali, uxoris nimirum alienæ, immutabiliter; at hic respectus moralis mutabiliter huic objecto, Bath-

ſebæ, conveniebat: ceſſabat enim τὸ *eſſe alienam uxorem*, cum cæſo Uria in matrimonium eam David recepiſſet. Rem alienam, qua talem, & per ſe, non non poſſe invito domino contrectari ut aliena maneat, imutabiliter verum eſt, ſed ab objecto ipſo, à re quæ aliena dicitur, cum propria eadem fieri poſſit, moralitas hæc eſt ſeparabilis. Verbo. Ratio moralis eſt in ſe immutabilis, non ſemper autem ab objecto inſeparabilis. Hiiſce principiis fundatur Philoſophia *Ludov. Molin.* (p) de *gradibus*, quibus aliquid *juris naturalis* eſſe dicitur, ſupra (q) à nobis explicata.

(p) de I. & I. t. 6. f. 1711.

(q) pag. 187.

§. 32. Quæ cum ita ſint, ulterius jam rectè infertur, quod ſicut quædam objecta ita ſe habent, ut poſitis reliquis principiis, ex quorum concurſu *eſſe morale* conſurgit, in illis nemine cogitante, præciſa item omni alia voluntate, actu aliqua exoriatur moralitas, ſic hæc quoque qua talis non proveniat à ſuperioris cujuſdã impoſitione, lege, & voluntate, ſed ad hanc *moralitas naturalis* ſe antecedenter habeat. Omninò enim hic diſtinguendũ exiſtimamus inter *morale* & *legale*: illud *qua tale* ab impoſitione provenire uti negamus, ita hoc non niſi à præcipientis voluntate procedere poſſe ultrò affirmamus. Moralitas enim cum ex ſe, & per ſe, non dicat obligationem actualem & legalẽ, ſed aptitudinalem potius & congruentiam

debi-

debitam, valoremq; quendam inferat, qui ex concursu certarum conditionum & circumstantiarum necessariò resultat, de ratione hujus esse ut sit, quod tali valore gaudet, actu lege vel præceptum vel prohibitum non sequitur; etsi tale vel præcipi vel prohiberi debere, aut posse, prout nimirum citra impositionem, vel per eandem se habet, non repugnet.

§. 33. Dari præterea moralitatem quæ se ex objecti etiam ratione ad divinam voluntatem antecedenter habens, ab eodem quoque inseparabilis est, inde constat, quia divinæ istæ perfectiones, *justitia* scil. *sanctitas*, ceu essentiales, in Deo sunt ex summa & immutabili essentiæ perfectissimę ratione, non ex libera voluntate. Ratio enim Divinæ sanctitatis & justitiæ in DEO non est ipsius voluntas, sed ipsa eminentissima divinæ hujus essentiæ perfectio. Quo minus autem divina hæc attributa *perfectiones* etiam *morales* appellentur, mihi nihil obstare videtur. Morale enim ex se non involvit imperfectionem, unde quin abstracta imperfectione, quod sc. sit accidens aliquod, vel talequid, quod usu, disciplina, & assuetudine acquiritur, DEO etiam tribui possit dubiũ non est. Nec malè loquitur, qui Dei impeccabilitatem, naturalemque sanctitatem, qua nullius peccati aut conscius, aut autor est, quod odit & punit, considerans, eum

bonum esse docet, non bonitate tantum *transcendentali* sed & *morali*, modo cum B. *Augustino* (r) dicamus: *DEUS sine quantitate magnus, sine qualitate bonus est.* Cumque insuper ex eminenti suæ naturæ perfectione sit amabilis & adorabilis, non ex voluntatis suæ arbitrio, idque æquè immutabiliter, atque ipsum supremum & optimum hoc Numen est immutabile, sequitur actus hos, *DEUM amare, DEUM colere*, uti sunt morales, tales quoque ex objecti ratione esse antecedenter etiam ad divinam voluntatem.

(r) l. 8. de Trin. c. 2.

§. 34. Et hoc adeò manifestum est, ut etiam *Philipp. à Trinit.* (s) quanquam & ipse (t) *moralitatem consistere* doceat *in subjectione ad regulas morum*, concedat tamen, *in aliquibus intelligi bonitatem & malitiam fundamentalem; bonitatem quidem in illis quæ præcipiuntur, quia physicè sunt conformia naturæ intelligenti: malitiam verò in illis quæ prohibentur, quia physicè sunt difformia eidem naturæ intellectuali; unde ista dici prohibita, quia mala; illa verò præcepta, quia bona.* Sed hæc bonitas, & malitia, & consequenter etiam *moralitas fundamentalis*, est ille valor, & illa moralitas, quæ ante omnem alterius impositionem objectis certis *radicaliter* inesse dicitur. Et hoc est, quod alias sic exprimimus: Objectum aliquod in se spectatum tale esse, ut nulla lege ita definiente, actui humano cui objicitur, & cum quo per actionem morali quadam unione

(s) in l. 2. Thō. t. 2. p. 362.

(t) b. p. 352.

nione unitur, valorem quendam infundere possit, ita ut si reliqua ex quibus *τὸ esse morale* consurgit dentur principia, per se & naturaliter in actu humano exoriatur moralitas, sicut ex unione materiæ & formæ semper nascitur corpus aliquod naturale. Ex quo sequitur, effectũ legis formalé non esse hunc, ut ei valor ille, qui *esse morale* constituit, per se acceptus debeat referri, ac si hoc objecto inesse non possit, nisi lege ita constituatur. Sanctus sanè foret Deus à nobis habendus, res aliena, quamdiu talis est, non foret invito domino contrectanda, si maxime nulla ita lex dictitaret, quæ saltem obligationem ad obsequium exhibendum injungit, ut actu contraveniens puniri possit, qui alias nulla lege posita, quod se præmiis, vel pœnis dignum tantum reddiderit censeri debet. Aliter itaq; æstimandus est actus *qua moralis*, aliter *qua lege* vel *praeceptus* vel *prohibitus*; moralitas dat actui, ut merito *possit* committens vel prẹmiis vel pœnis affici; at quantum lege est præceptus ac prohibitus, *debet* vel laudari, vel puniri.

§. 35. Non minus II. *Fini* nonnunquam citra impositionem superioris valorem talem, qui ad *esse morale* dandum sufficit, inesse existimamus. Sicut enim dantur fines per se boni & mali, v. c. Gloria DEI, vel divini nominis infamia; ita, qui tales sunt, illis per se inest quoque talis valor, qui ad dandum esse morale requiritur. Cumque à Fine et-

jam hoc proveniat, citra legis definitionem, ut actus talis sit, vel talis, fines quoque dari, qui ex se suo valore non destituantur, certum est. Vir bonus contrectat rem alienam, fur idem facit, sed non eodem fine, ille ut Domino annuente rem emat, hic ut eodem invito eandem retineat, unde ille quoque emtor, hic fur dicitur. Nimirum qui intenditur, & sub quo res aliena contrectatur finis, sicut τῷ *alieno* ex se est vel conveniens vel inconveniens, ita necessariò continet hunc valorem, ut ejusmodi *rei alienæ lucri faciendi gratia fraudulosa facta contrectatio* (u) appelletur furtum, ceu quæ nemine cogitante, nulla lege determinante, *alienum* tale esse non sinit; quo facto sicut ordo, qui ubiq; ex ratione congrui vigere debet, etsi ne hunc quidẽ ulla lex esset præceptura, tollitur, ita quin Finis, quo ista confusio intenditur, non sit in se de nihilo, etsi nemo ita definiat, dubium non est. Finge duos tantum vivere in orbe homines sine ulla lege, quocunq; veniat nomine, quemlibet etiam sua sibi habere propria, sane si alter alterius inhiaret opibus, quemlibet credo judicaturum esse, conatus hosce tantum valere, tanctique esse momenti, ut prohiberi debeant, graviterq; qui puniantur digni sint. *Quis enim fur æquo animo furem patitur?* rectè quærit B. *Augustin.* (x) Quare *si finis non solum inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc demũ etiam facta nostra laude aliqua digna sunt*, ut loquitur *idem* (y).

(u) ff. 1. de Furt.

(x) 2. Confess. c. 4.

(y) T. I. l. 2. de mor. Manich. c. 13.

§. 36. I.

§. 36. Idem etiam III. de nonnullis *Circumstantiis* ostendi potest. Quanquam enim sint actionis moralis *accidentia*, uti Thomæ (z) dicitur, quod tamen haud raro ita comparatæ sint, ut ex his per se spectatis moralitas in actu consurgere possit, probari posse nobis videtur. *Cicero* (a) sanè, *in omnibus*, inquit, *quid tempora petant, aut quid personis dignum sit, semper considerandum est*. Bene *Plinius* (b), *non omnibus*, inquit, *eadem placent, nec conveniunt quidem. Præterea faciendi aliquid, vel non faciendi vera ratio, cum hominum ipsorum, tum rerum etiam ac temporum conditione initur*. Sanè si lege non definiente, sub diversis circumstantiis velut sub diversa facie actus apparens alium, aliumque mutatis illis quæ eundem circumstant consequitur valorem, quin & circumstantiis aliqua insit moralitas, dubium non est: atqui illud negari non potest; contingit enim haud raro, ut objectũ sit vestitum circumstantiis non congruis tantum, sed & incongruis & inordinatis, idque vel quando repugnantes adduntur circumstantiæ, vel quando debitæ actui conditiones omittuntur: v. c. quando quis eleemosynã erogaturus, non de suo id facit, sed aliunde furatur pecuniam; vel ut *Aristoteles* (c) loquitur de Intemperantibus, quod *iis rebus delectentur, vel quod ita ut vulgus, vel quod non ita, ut oportet, vel quod non qua parte oportet*; ista eleemosynæ datio, ex ratione inordinatæ hujus circumstantiæ, ceu principii, in se ut vitiosa,

(z) I. 2. q. 7. a. 1.

(a) 2. de Invent.

(b) 6. Epist. 24.

(c) 3. Ethic. c. 11.

ita quoque moralis est, ceu naturaliter repugnans naturæ τοῦ *alieni*, de quo nemo, nisi qui ejus est dominus, disponere potest.

§. 37. IV. Dico inter principia ex quibus per se & naturaliter oritur moralitas citra impositionem, esse ipsum *agens*, quod sc. rationale & liberum est. *Actus* enim, ut *Thomas* (d) loquitur, *susceptibilis est bonitatis moralis*, & consequenter ipsius moralitatis, *secundũ quod humanus est*, vel esse debet, *humanus autem est secundum quod aliquatenus ratione deducitur*, vel deduci debet: *quod contingit in illis actibus tantum, qui imperantur à voluntate, quæ consequitur*, vel consequi debet *deliberationem rationis*. *Seneca* (e) multum, hinc inquit, *ad rem pertinet, quo proposito, ad quam rem, accedas*. Hoc ipso enim quod actus procedit à sciente quid agat, & quem actio sua valorem habeat cognoscente, idque liberè, talis quoque ipse actus sit necesse est, cognitus sc. & liber, ceu qui participat de natura sui principii à quo profluxit: unde quando actio provenit ab agente rationali & morali qua tali, quin & ipsa qua talis rationalis & moralis sit, dubium non est. Ex hoc etiam, quia libere & sciens aliquis committit aliquid quod intermittere poterat, actui per se nonnunquam inest hic valor, ut actus possit & debeat vel prohiberi, vel præcipi, imputarique ad laudem, vel ad vituperium. ἀδικεῖ τις ἑκών; ὀργὴ ϗ τιμωρία καθ' αὐτοῦ. ἐξήμαρτέ τις ἄκων; συγγνώμη ἀντὶ τῆς τιμωρίας τούτῳ. *facit aliquis injuriam prudens?*

(d) II. d. 49. q. 1. a. 5.

(e) Epist. 109.

dens? irata leges, infesti judices, pœna in eum constituta. peccavit aliquis imprudens & invitus? huic venia datur non supplicium quaritur, dicit *Demosthen* (*f*) Sique seposita omni lege nulla detur per se moralitas quæ se tenet ex parte actus & agentis, nihil differentiæ intercedet in genere morum inter actum bruti, canis v.c. & hominis scelerati, cum matre coëuntis, quam tamen dari manifestum est. Brutum enim non agit sciens scientia reflexa, & liberè volens, sed naturali fertur impetu in objectum, non ratione sibi propria & specifica; unde cum fœmellam canem non ceu matrem, quod ignorat, quodque discrimen per naturæ suæ imperfectionem observare nescit, sed sub ratione boni sensibilis appetit, non potest hic actus eundem habere ex se, remota etiam omni lege valoré, quem habet, quando à libero agente proficiscitur. Ubi enim objectum quale sit ignoratur, ibi non attingitur illa ratio, quæ valorem in se continet ex parte objecti, quæque attingi debet, ut eundem actus habeat & consequatur, nec etiam procedit ab agente sub tali ratione, quæ æstimari jure, & imputari possit ad laudem vel ad vituperium. Orat. pro Ctesiph.

§. 38. Et hæc sunt *moralitatis* principia: quæ sicut in se valoris quandam moralis continent rationem, citra superioris impositionem, ita ex illorum concursu & conjunctione una resultat in actu moralitas.

Sic verò se habet illa ex qua esse morale provenit Unio: Nimirum respiciunt se invicem, nec absolutè se habent hæc, ex quibus una consurgit moralitas, à qua actus dicitur moralis, principia. quare sicut quæ objecto moralitas inest, & in eo sui valoris rationem habet, non à quovis agente, sed à libero & sufficienter cognoscente attingi potest, ita quoq; ea se non diffundit in actum, in quantum nimirum hic ab objecto moralitatem accipit, nisi sit agens liberum & intellectuale. Bestiæ v.c. diversarum specierum ut commisceantur, incongruentia & inordinatio physica est, at quod cum bestia commiscetur homo, qui incongruentiam hanc & inordinationem intelligit, & liberè appetit, nova hinc resultat inconvenientia, quæ lege prohiberi potest, & ut prohibeatur digna est, h. e. moralitas; sed rationem hujus valoris, sub qua objectum, bestia sc. tantum valet, ut lege prohiberi queat, quo minus actu conjunctionis carnalis attingatur, non brutum, sed homo attingit.

§. 39. Quemadmodùm itaque in actum *moralitas formalis* derivatur ab objecto per hoc, quod actus ceu ab agente libero profectus tale respicit objectum, vicissimq; objectum non ad quemcunq; sed ad talem actum, cui suam infundat moralitatẽ, dicit habitudinem, qui est agentis liberi: ita quoque *circumstantiæ*, quæ objectum vestiunt, & sub

ſub alia aliaq; facie illud agenti exhibent, ſuum quem habent valorem moralem non in quemlibet infundunt actum, ſed reſpiciunt agens liberum & intelligens; cujus actus ſoli apti ſunt, ex agentis ratione à quo exoriuntur, ut illum recipiant. Sicut enim non quodvis ſubjectum aptum eſt ad recipiendum quodvis accidens, ita nec quivis actus ad recipiendum eſſe morale.

§. 40. Ad hoc agens autem, quod objectum & circumſtantiæ, à quibus qui illis ineſt valor in actum, ut fiat formaliter moralis, derivatur, reſpiciunt eo quo diximus modo, requiritur ut ſit agens propter *finem.* *βέλησις τȣ̃ τέλȣς ἐςὶν*, *voluntas finis eſt*, ait *Ariſtot.*(g) quæ cum ad principia actionum humanarum & moralium pertineat, ob ejus defectum actio perfectè moralis dici non poterit. *Ejusmodi quid finis eſt*, ut doctiſſ. *Ioach. Camerarius* (h) verba Philoſ. *παραφράζει*, *ut ipſe quidem voluntatem commoveat, & hæc incitata impellat animum ad id ſequendum. quod conſtitutum eſt extremum ſeu ultimũ.* Unde omne agens quod agere intendit, agit propter finem, qui ſicut eſt menſura & ratio mediorum, actiones etiam diſtinguit, ut. *quos ſimilitudo facti conjungit, cauſæ diſſimilitudo diſcernat*, ut ſupra ex *Auguſtino* (i) diximus, & cauſæ denique rationem habet ad agendum impellentis, imo & objecti ex operantis ſc. intentione; ita unâ

quoque

(g) 3. Eth. c. 4.

(h) Com. l. c. p. 119.

(i) Ep. 48. ad Vincent.

quoque & necessariò influit ceu principium tam in genere causæ efficientis, quatenus impellentis rationem habet, quam in ordine causæ formalis externæ, in quantum operans circa eundem ceu objectum occupatur.

§. 41. Hæc ergò principia sicut ad omnem actionem humanam verè talem concurrunt, ita ex illorum confluxu & unione oritur in actu moralitas, sicut posito relato & correlato cum fundamento consurgit relatio, diciturq; sub his requisitis spectatus *actus moralis*. Objectum enim cum quo in actione actus conjungitur & unitur, valore suo morali afficit, & si ad esse morale recipiendum aptus est, hoc est ab agente morali profectus, hunc in eundem transfundit, moralemq; per istã unionem ceu forma constituit: Sicut enim alias actus physici differentiam suam specificam accipiunt ab objectis, & modo tendendi in illa, ita actus moralis, hanc suã differentiam ab objecto morali recipiat necesse est. Cum verò idem actus eliciatur & imperetur ob certum finem etiam, hinc unio quoque & conjunctio inter actum & talem finem oritur, qui cum respectu actus, quo ceu obtinendus intenditur, etiam objecti quandam indolem accipiat, itidem valorem suum derivat in actum istũ, eumq; sua qualitate morali informat. Cum enim finis operantis sit *ratio sub qua* ab eodem actio emanat, & sic formæ, seu principii formalis rationem habeat

beat

beat, ſicuti per intentionem agentis iſte finis cum actione morali quadam ratione unitur & conjunctus eſt, cum ut modo dictum ſit formale ſub quo agens operatur, ita per iſtam unionem redundat in actum moralitas quæ in ipſo concipitur fine, qui eum ſuo valore morali actuat, ſicut materiam forma.

§. 42. Et ſic ex concurſu horum principiorum conſurgit in actu moralitas, quorum uno deficiente, libertate ſc. agentis, vel objecto, vel fine, actus non eſt moralis. Circumſtantiæ enim aliæ mere circumſtantialiter ſe habentes, etſi & illæ moraliter afficere queant, non ſemper tamen id faciunt, nec niſi accidentaliter ad moralitatem actus qua talem ſe habent. Quanquam verò moralitas quæ eſt in actu, ex pluribus cum actu conjunctis oriatur principiis, una tamen tantum formaliter & completa eſt: *ut enim*, uti B. *Schaller.* (k) noſter loquitur, *ſanitas, pulchritudo ſunt una forma, licet reſultent ex pluribus: ut rerum externarum bonitas, artificialium præcipuè, ut domus, ex pluribus oritur*: ita ex ratione proæretica agentis, conditione objecti, & qualitate finis circa unum actum concurrentibus, & in eodem unitis, una conſurgit moralitas. Sicut verò hæc tria ſe invicem reſpiciunt imutabiliter nonnunquam, etiam remota divina voluntate, ita, quatenus hæc ſe ſic habent, eadem erit inde conſurgentis

(k) de Circumſtant. act. hum. §. 76.

ratio

tem superioris necessaria sunt, nec liberè ita definita, quibus etiam positis, & cum motu physico unitis, in eodé moralitatem non exoriri, implicat contradictionem. At verò de obligatione, qua moralia non carent, si quæritur, illam non nisi à superiore manare, inq; ejus origine investiganda ultimo demum ad DEUM O. M. recurrendum esse concedimus; licet verò moralia & obligatio in praxi sint conjunctissima, non tamen ex eodem fonte oriuntur, cum aliud sit *morale*, aliud *legale*; quanquam Legem principium τοῦ moralis, non essendi quidem, cognoscendi tamen esse posse, imò esse, non negaverim.

§. 44. Quemadmodum itaque *Morale* datur *naturale* citra respectum ad leges tale, ita cum hujus species sint *bonum* & *malum*, in his quoque antecedenter ad divinam voluntatem interdum rationem bonitatis & malitiæ dari, probabimus, quo evicto, dabitur quoque discrimen aliquod naturale honestorum & turpium, antecedenter ad legem tale.

§. 45. *Indifferens*, quod *nec bonum, nec malum est, quod seu feceris seu non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam,* ut Hieronym. (*l*) loquitur, quodque qui eo *uti scit, ei bonum, qui non utitur recte, ei malum* (*m*), cum de ratione & valore morali per se non participet, species τοῦ *moralis* dici nequit. Dupliciter autem possumus de eo quod dicitur Indiffe-

rens

(*l*) ad August. Epist. int. Aug. 2.

(*m*) Terent. Heaut. A. 1. sc. 2.

rens loqui, vel prout se habet ex parte actus secundum *esse physicum* spectati, vel in *ordine morali*. Esse actus physicum, ut est motus aliquis potentiæ physicæ seu naturalis, vel intellectus apprehendentis, appetitus sensitivi, facultatis locomotivę &c. etsi ut notat motum simpliciter ab homine usurpabilem, qua sic plane indeterminatè & præcisè consideratur, indifferens dici queat, non tamen ut est motus *determinatus hic*: blasphemia v. c. divini nominis, potest considerari, vel ut est motus præcisè linguæ, vel ut est motus linguæ contra DEUM: priori respectu uti potest motus iste, ut est motus ab homine usurpabilis pręcise, appellari blasphemia nequit, ita est indifferens, ceu qui ad bonum & malū applicari potest; posteriori notione, qua determinate ut est hic consideratur motus, etsi adhuc inter actum physicè spectatum, & actus ἀταξίαν distinguere possis, num tamen talis actus adhuc indifferens dici queat, vehementer dubito: imo nego. Nec aliter Theologi: Sic enim B.D. *Dannhavv.* (*n*) *Inter actum*, inquit, *& actus ἀταξίαν distinctio juvat solum ea peccata, in quibus materiale remotum distingui potest à formali, non item in iis, in quibus materiale proximum, seu ipsa motus applicatio, ac individuatio à formali ἀταξίας est inseparabilis. e. g. in coitu cum bestia. Coitus generaliter acceptus est indifferens, sed coitus talis, hoc motu, hac applicatione non potest fieri sine vitio, ubi ἀταξία est propria tali actui, adeoq; divinitus inseparabilis.*

(*n*) Hodom. C. t. I. p. 977.

§. 46. De Indifferentia in ordine morali itidem dupliciter possumus loqui. I. sic, ut ipsum valorem, & esse morale, ad bonũ & malum indifferenter se habere dicamus; & v.g. blasphemiam, cędem, adulterium, quod jam sic appellamus, actiones in se indifferentes esse, bonas etiam futuras, si vel à Deo, ut *Vasquius*, (o) *Rhetorfortius* (p) cõtendunt, vel à Magistratu, quod *Hobbes* (q) opinatur, fuerint præceptæ, ita ut bonum & malum antecedenter ad divinum beneplacitum naturale nullum detur. Hunc *indifferentismum moralem* alunt, fovent, pingunt & comunt omnes illi, qui moralitatem, omnem bonitatem & malitiam in hoc ordine talem à nuda impositione provenire affirmant, etsi se id agere, facta contraria factis suis protestatione, negent. Dum enim in actionibus & objectis moralitatem omnem à tali impositione tantum, & lege superioris provenire urgent, indifferentia hoc ipso sint necesse est in se omnia, si, qualia sint in ordine ad *τὸ morale*, præcisa ista impositione considerentur. Concubitus v.c. cum alterius uxore si ideo adulterium appellatur, quia est contra legem seu naturalem, seu positivam, hoc equidem sequitur, adulterium tum non esse actionem indifferentem, quo minus tamen ipse concubitus cum alterius uxore antecedenter ad omnem legem & talem impositionem spectatus, nisi in se etiam, sc. uti *Grotius* (r) *Thomam* (s) secutus, *DEUM* non

(o) C.I.l.1.c.27. n.9. seqq.

(p) Exerc. Apol. pr. Gr. p.m.345.

(q) de Civ. c. 6. n.16.c.12.

(r) Prol. de I. B. P.

(s) I. secundæ q.71.art.6.

non esse fingas, vel, ut mitiùs loquitur *Gordon.* (t) actum talem lege eum non prohibuisse ponas, turpis esse dicatur, indifferens esse ex data hypothesi sequatur, nil impedit: quicquid dein sit de appellatione talis actus, seu adulterium appellari debeat, seu non, si lege non est prohibitus; relinquitur enim, ipsum concubitum cum alterius uxore antecedenter ad impositionem & præcisa lege consideratum esse actum indifferentem, quod admitti nequit.

(t) Theol. Moral. T. I. p. 291.

§. 47. Nec puto ego, pace tamen aliorum, quando distinguitur inter vocabula, & formulas, quæ nudum motum physicum notant, & quæ motũ physicum cum moralitate junctum exprimunt, qualis est adulteriũ, seu cohabitare uxori alterius, motam difficultaté tolli. Cum enim omnis moralitas sit ex illorum mente ab impositione, rectè quæritur. qualis ergò sit actus hic *cohabitare alterius uxori* præcisa impositione ista consideratus, an mere physicus, an quid moralitatis in se contineat? posterius dici non poterit, cum præscindamus principium quod genuinũ & adæquatum τȣ *esse moralis* dicitur, prius ergo dicendum erit, quod cohabitatio alterius uxori facta se se mere *physicè* habeat, in se indifferens sit, & nisi lege prohibeatur, cum alterius uxore consuescere turpe non sit. Ex quo ulterius hoc consequitur, quod de posse absolute loquendo, sique legislatoris

tolis sapientiæ ita fuerit visum, adulterium uti prohiberi, ita etiam præcipi possit; posse enim in vita sociali, & consequenter naturæ hominis convenienter, tales dari casus, ut ceu personale, non commune, adulterium, si in se malum non foret, quod nos contendimus, præcipi posset, dubium non est. Hoc verò cum dici non debeat; patet actum adulterii, seu cohabitationis cum uxore alterius, sic esse comparatum, ut præcisa etiam legali impositione divina, reliquum quod est in hoc actu non ad esse physicum tantum pertineat, sed esse quoddam morale, quod ex objecto sc. in actum ipsum, eo quo supra explicavimus modo, derivatũ est, una involvat.

§ 48. II. Potest indifferens in genere morum dici ille actus, qui in se intrinsece non est determinate bonus vel malus, quoque per jus naturæ benè vel malè licet uti, de quo *Augustin.* (u) *sunt*, inquit, *quædam facta media, quæ possunt bono vel malo animo fieri, de quibus est temerarium judicare.* Cum enim objectum aliquod ita comparatum esse queat, ut ex sua natura, & per se actui valorem aliquem moralem infundere aptum non sit, sed ad bonum & malum actum indifferenter se habeat, actus quoq; indifferentes oriuntur, ut sunt ambulare, levare festucam de terra, qui actus determinate boni & mali non sunt. Ita *Plato* (x) mentionem facit ejus, quod ὄτε καλὸν καθ' αὑτὸ, ὄτε αἰσχρόν· ἀλλὰ καλῶς μὲν πραττόμενον καλόν· αἰσχρῶς δὲ αἰσχρόν· neq; hone-

(u) l. 2. de Sermon. Dom. in Mont. c. 28.

(x) Sympos. f. 319.

ſtum ſecundum ſe, neq; turpe, ſed recte factum honeſtum, contra turpe.

§. 49. Ut verò, quo tandem ad noſtrum inſtitutum veniamus, etiam honeſta & turpia, bona & mala in ſe talia, antecedenter ad divinum beneplacitum dari probemus, præter ea quæ ſupra jam notata ſunt, obſervari debet, *hanc non eſſe quæſtionem*, an voluntas DEI ab origine obligationis in homine, legiſq; naturalis ei datæ excludi debeat, quod dici nequit, ceu contra *Grotium (y)* hoc eruditè diſputatur à B. *Bœclero (z)*, *Zieglero*; *(a)* cujus etiam divinam originem *Paulus*, *(b)* & Gentilium Sophi agnoverunt: ſed *de ipſo bono & malo quæri* an aliquid *per ſe* tale ſit, non in oppoſitione ad leges humanas, ſed reſpectu divinæ voluntatis, qua etiam non prohibente, quaque etiam præciſa, actus aliquis in ſe malus eſt, v. c. adulterium, furtum, blaſphemia. Aliud nimirum eſt, aliquid eſſe *in ſe turpe*, aliud aliquid eſſe *peccatum*, illud in puncto rationis prius eſt, hoc ſequitur, & dicitur ita in ordine ad legem, eſtque deviatio à lege. Sic enim *Ambroſ. (c) quid aliud*, inquit, *eſt peccatum niſi divinæ legis tranſgreſſio, & cæleſtium inobedientia mandatorum*. Sic *Auguſtin. (d)* peccatum dicitur, *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei*. Nec diſſentiunt Patres qui peccatum definientes, non expreſſe *legis*, ſed *rationis* mentionem fecerunt. Sic equidem *Clemens Alexandrinus*

(y) Prol. de I. B. P.

(z) Com. in Grot. p. 7.

(a) Not. in Grot. p. 7.

(b) Rom. I. & II.

(c) de Paradiſ. c. 6.

(d) l. 22. contra Fauſt. c. 27.

drinus (e) *πᾶν τὸ παρὰ τὸν λόγον τὸν ὀρθὸν, τοῦτο ἁμάρτημά ἐστι, quicquid est prater*, & hoc ipso etiam contra *rectam rationem, id est peccatum*, ait: mox tamen se ulterius explicans, *ὑπακοὴν obedientiam*, quæ rationi debetur, *θεμελιοῦσθαι ἐντολαῖς mandatis fundari* docet. Illud autem, malum sc. dicitur privatio rectitudinis, seu bonitatis moralis adesse debitæ, vel ex defectu requisitorum moralium, vel ex incongruo eorundem concursu per se consurgens, ita ut malum esset, si vel maximè nulla de eo lata lex foret: & sicut præcisa divina voluntate homo quoad actum essentiæ est animal rationale, exigente ita veritate humanæ naturæ, qua aliquid tale est, quale naturâ sua esse debet, quicquid sit de actu entitativo, quem divino intellectui conformem debere esse, & ad voluntatem divinam & beneplacitum consequenter se habere & ipsi contendimus; ita quoque præcisa divina voluntate, ex concursu circumstantiarum & requisitorum moralium congruo consurgit bonum morale, non quidem actualiter, sed idealiter spectatum.

(e) Pædag. l. 1. c. 13. f. 135.

§. 50. Non fugit nos equidem, doctos tam è Patrum choro, quam ex Scholæ Doctorum ordine viros, de bono & malo morali in *σχέσει* ad legem loqui, sed nobis hos non adversari credimus. Dupliciter nimirum de Bono & Malo disquiri potest, vel quid sit per se, à priori, vel quid sit per ac-

cidens, ratione sui sc. non ratione subjecti, seu hominis cui præcipitur aut prohibetur, & à posteriori: sub illa ratione non dicit respectum ad legem, cum aliquid non ideò bonum sit, quia lege homini est præceptum, malum verò, quia eidem lege prohibitum, cum tale sit etiam nulla lege posita; hoc verò sensu ad legem ceu principium cognoscendi respectum dicere, non repugnabimus. Priori sensu apud *Platonem* (*f*) dicitur: πάντα τὰ καλὰ οἷσι τ' αἰσχρὸν μὴ μέμικται, *honesta sunt omnia quibus turpia non mixta*; posteriori *Horatius* (*g*) quærit & respondet:

— — — — Vir bonus est quis?
qui consulta patrum, qui leges juraq; servat.

Et è scholæ doctoribus *Gregor. de Valent.* (*h*) ad bonum morale hoc requiri docet, *ut nulla perfectio desit actioni, quam debet homo in illa adhibere, quatenus ratione & voluntate utitur in agendo circa finem, vel materiam, sed sit prorsus actio consentanea rationi rectæ.* Nec minus è moralium magistris *Ludovic. de Molin.* (*i*) *malum morale* ponit *in privatione conformitatis, cum recta ratione & lege* DEI. Alias non ideò præcise aliquid bonum dici debet à priori, quia est lege præceptum, sed ideò, quia aliquid in se honestum est, lege præcipi potest, imò debet; ut proinde aliud sit bonum simpliciter, aliud bonum lege præceptum; illud non malè in perfectione morali, hoc in convenientia cum lege positum esse dicitur.

(f) Protag. f. 208.

(g) 1. Epist.

(h) in Thom. I. 2. q. 18. a. 13. punct. 1.

(i) P. I. de I. & I. q. 5. disp. II.

citur. Unde ſicut lex notitiam juſti & æqui nobis inſinuat, ita quoque regula eſt, unde id quod malum eſt cognoſcitur.

§. 51. Cæterum ſicut moralia ex variarum conditionum concurſu neceſſario conſurgunt, ita & *bonitas* quæ in genere moris talis eſt, ſua ſibi certa ad eſſendum neceſſaria, & perpetua principia, ex quorum conjunctione, præciſa etiam divina voluntate exoriatur, poſtulat, ita ut, quanquam citra divinam voluntatem illa actu non exiſtere poſſit, non tamen à divina voluntate iſtorum principiorum mutua convenientia & determinatio ad ideam boni in ſe ſpectati fieri debuerit, cum (ut ſecundũ modum noſtrum concipiendi actus divinæ mentis, qui ſunt unum quid ſimpliciſſimmũ diſtinguamus) divinus intellectus ante omnem voluntatis actum, quænam ad veritatem boni moralis, ex propria ipſius indole immutabiliter ſint congrua & neceſſaria, cognoverit, æquè atque novit tres angulos ad trianguli, vel animam rationalem ad hominis conſtitutionem requiri.

§. 52. Quare cum bonitas, ſeu rectitudo moralis, conſurgat ex concurſu plurium requiſitorum convenientium, quorum alia ad honeſtatem ſimpliciter faciunt, alia verò ad majus & minus, quorum illa hoc nomine *eſſentialia*, hæc *accidentalia* dici queunt, quæ & *circumſtantiæ* propriè tales alias ap-

pellantur, quænam illa sint paucis videbimus. Sicut itaque supra *operantis personam* moraliter actum afficere diximus, ita ut alius sit bonus vel malus, oritur 1. ex persona agentis, quia quæ non cadunt sub voluntatem & intellectum, non cadunt sub honestatem vel turpitudinem. Nam τὰ προαιρετικὰ κρίνεται, *quæ voluntarie suscipiuntur, puniuntur* ait *Clemens Alexandrin.* (k), unde ἡ εὐπραξία, inquit *Aristot.* (l) καὶ τὸ ἐναντίον ἐν πράξει ἄνευ διανοίας καὶ ἤθους οὐκ ἔστι, *bona actio, & quod item contrarium in actione est, sine intellectu & cogitatione & moribus non existit*, prout nec ἄνευ διανοίας προαίρεσις eodem judice datur. Scientiam & voluntatem conjungit Philosophus alibi (m) ita: *agens secundum virtutem aliquo modo affectus agat*, πρῶτον μὲν ἐὰν εἰδώς· ἔπειτ' ἐὰν προαιρούμενος, καὶ προαιρούμενος δι' αὐτά. *primo quidem si sciens, dein si eligens, atq; eligens propter ipsa*, h. e. propter ipsam virtutis honestatem, ut proinde ipsum bonum, circumstantias etiam & causas bonitatem constituentes, & quidem omnes, directè benè acturus velit, sit necesse. Alia tamen est ratio circumstantiarum malitiam actui dantium. nam hic non necesse est, ut omnes circumstantiæ sint directè volitæ, sed qui malū aliquod vult, vult eo ipso, & censetur velle omne id quod tale per se sequitur. Nam ut non malè B. *Schallerus* (n) loquitur, ut *peccatum sit in aliqua specie, sufficit si voluntas fera-*

(k) 2. stromat. f. 387.

(l) 6. Ethic. c. 2.

(m) 2. Ethic. 4. al. 3.

(n) de Circumstant. Act. hum. disp. I. §. 29.

tur in substantiam operis, licet non expresse feratur in omnes circumstantias, quæ prolixius exequitur.

§ 53. Voluntas itaque cum per se sit actionis moralis principium, tam in virtute quam in vitiis, ut *Cicero* (*o*) etiam docet, inde si fertur in objectum aliquod sub circumstantiis & conditionibus ei inconvenientibus, modoque inconvenienti illud intendit, sicut hinc incongrua quædam difformitas inter objectum & voluntatem intercedit, ita actus à tali voluntate proveniens, quod debita conformitate caret, non nisi malus esse potest. *Res aliena* v. c. ideò quia talis est, sic se habet, ut alterius voluntas concupiscere eam non possit, unde sicut actui alterius concupiscendi objici non potest ex ratione *τῦ alieni*, ita ei quoq; actus iste est inconveniens, quare si voluntas modo quodam incongruo, concupiscendi scil. in eam fertur, velle istud non potest non esse malum.

(*o*) 4. qq. Academ. P. XI.

§. 54. Et patet hinc differentia inter *bonum* quod tale est in genere morum ex impositione, seu *positive*, & quod tale per se & *naturaliter*. Nimirum in hoc inconvenientia quæ est inter voluntatem ejusq; actum & objectum, suam radicem habet in ipsa objectiva ratione, v. c. *esse rei alienæ, uxoris* &c. cui quia tali non quilibet actus voluntatis potest esse congruus: ut enim in naturalibus non omnia eidem conveniunt, ut supra (*p*) explicavimus, sed certa, ita & in moralibus

(*p*) pag. 210.

libus, quare si voluntas contra rationis dictamen, ut principii cognoscendi, non legis rationem hoc habere concipimus, intentione quadam rei incongrua objectum intendit, actus ab ista voluntate proveniens per se malus sit necesse est, ob defectum convenientiæ adesse debitæ. In illo autem quod malum est ex impositione, ratio inconvenientiæ quæ inter objectum & certam agentis operationem intercedit, exoritur ex lege, cujus definitione uti objectum specificatur, ita hoc ipso quibus circa se actibus occupatis sit cõgruũ, quiq; actus convenienti modo, vel inconvenienti illud attingant, determinatur.

§. 55. II. Ut actus citra alterius impositionem reddatur bonus vel malus oritur *ex objecto.* Objectum enim ex propria & objectiva ratione se haud raro ita habet, ut certo actui per se sit conveniens, alteri inconveniens, & per illum tantum ceu sibi congruũ attingi debeat. v. c. *Alienum* esse etsi huic vel illi rei contingenter accidat, idealiter tamen spectatum, non ex legis definitione, sed per se respicit ab altero contrectationem sui invito domino factam ceu actum sibi inconvenientem; unde etiam *contrectatio rei alienæ* invito domino facta, intrinsecè hoc habet, quod honestati adversari dicitur, cum sit contra debitum modum operationis, quę ut bona sit, non potest non esse rationi objectivæ, & moralitati, prout ea se habet ex parte

obje-

objecti, conveniens. Addimus aliud exemplum: DEUS quia est summe & per naturam suā bonus, hoc ipso necessario, etiam si illius præceptum quo sui amorem mortalibus injunxit seponas, ceu sibi convenienti actu attingi vult, ut ametur; cumque odium in objectum amabile nullo modo ferri debeat, sequitur DEUM per se, etiam præcisa ipsius voluntate, non esse objectum ad amoris & odii actum indifferens, nisi difformia conformia dicere velis. Sic quia Deus per essentiam suam est adorabilis, ex se & natura sua habet hanc repugnantiam objectivam, ne se, blasphemiis petatur; unde quia blasphemia cum divina essentia semper adorabili nunquam potest habere convenientiam, sequitur, quod sicut DEUS est per essentiam disconveniens actui blasphemandi, ita quoque ipse actus blasphemiæ per se & intrinsecè disconveniens sit DEO, & consequenter per se malus. Sicut enim moralitas competit objecto, ita quoque actui circa istud objectum occupato, unde sicut moralitas competit objecto, ita quoque actui in unione morali cum objecto spectato, à quo suam bonitatem & malitiam mediante ista unione accipit.

§. 56. Provenit autem ista convenientia, quæ inter certum actum & objectum, v. c. inter cultum à filiis præstandum & parentes, intercedit, ab ipsa ratione objectiva, à qua

etiam

etiam qua tali certi actus ut convenientes requiruntur, certi ut inconvenientes rejiciuntur, quibus ob propriam qua gaudet repugnat rationem. Unde Escobari (q) *bonitas vel malitia in objecto fundamentaliter, in actione formaliter reperiri* dicitur. Sic enim parentibus, ideò quia parentes, h.e. liberorum benefactores sunt, debentur gratiæ; rependenda officia. *Quid enim tam contra officium, quam non reddere, quod acceperis?* rectè quærit *Ambros.* (r) Iidem quia qua tales jus habent in liberos, pietas, observantia & obsequium illis ab his debetur, quæ officia citra injuriam illis denegari nequeunt. Cumq; in societate paterna imperium sit penes patrem, naturaliter & per se conveniens est statui patris hoc officium exhibendū, ut mandato illius se obsequentem, submissumq; præbeat filius. Ita cum homo homini sit ęqualis, quæ officia humanitatis uni per se conveniunt, ea alteri quoque per se convenire dubium non est. τὸ δίκαιον δεῖν τοῖς ἴσοις ἴσον εἶναί φασι, *æqualibus æquale jus oportere esse ajunt* (s); si nimirum juris & injuriæ sunt capacia, ad hoc autem requiritur, ut aliquid intelligat, & cognoscat, aut certè ex se ad cognoscendum & intelligendum aptum sit, quid sibi debeatur, & quod sibi injuria fiat. Omnis itaq; injuria cum noceat, noxium quid & malum, & consequenter objecto cui infertur moraliter per se inconveniens est. *Injuria*, inquit *Seneca*, *deminu-*

(q) Theol. Moral. p. m. 5.

(r) 1. Offic. c. 31.

(s) Arist. 3. Polit. 8. al. 12.

minutio ejus est in quem incurrit, nec potest aliquis injuriam accipere sine aliquo detrimento, vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra nos positarum.

§. 57. Fundamentum hujus convenientiæ & inconvenientię inter actum & objectũ, cui ille vel cõveniens vel inconveniens dicitur, est natura nostra rationalis. Quę ratio est quare homini non solũ naturaliter aliquid sit conveniens & inconveniens in genere naturæ, quod etiam aliis agentibus est commune, sed etiam quare aliquid ei, utpote per naturam moraliter agenti, tale sit in genere moris. Est enim act⁹ inconveniens objecto, & vicissim hoc actui, quia à tali agēti h.e. rationali, quod quid, & quale aliquid sit, cognoscere potest, & quid agat novit, provenit. Docuit ita olim *Cicero (u)*. Ex recentioribus *Gabriel Vasquez (x)* ita scribit: *Prima regula*, cui sc. actio conformis esse debet, *est natura ipsa rationalis, quatenus rationalis est. Nam illud, quod est conveniens & consonum naturæ rationali, quatenus rationalis est, dicitur bonum, quod vero dissentaneum, & disconveniens est naturæ rationali, est malum: ideo enim malum est furari, quia non decet, nec conveniens est naturæ rationali, contra vero elargiri eleemosynam indigenti, ideo bonum est, quia conveniens & decens naturæ rationali.* Consentit *Hugo Grotius (y)*, ut *aliquid sit illicitum, satis est*, inquit, *si cum humana natura pugnet.* Rectè autem judicatur illud cum humana natura rationali, quatenus

(u) 1. de Legg.

(x) in Thom. t. I. f. 412.

(y) 2. de I. B. c. 5. §. 12.

nus

nus talis est, pugnare, à quo cum ad illud bruta belluino impetu ferri videas, ratio nostra abhorret. Et sicut lex naturalis conditioni nostræ humanæ est conveniens, ideo quicquid lege prohibetur naturali, id non solum naturæ nostræ inconveniens esse hoc ipso cognoscitur, sed & quando ex se & per se ex objecti ratione eidem est non conveniens, uti fuere supra adducta exempla, antecedenter quoque ad legem quod tale sit, rectè dicitur; cum quando sic actus ad rationis judicium, sensu legis naturalis omninò imbutum, refertur, legem naturæ non principii essendi, sed cognoscendi, & quidem à posteriori, rationem habere, supra jam dictum sit.

§ 58. Concurrit III. ad bonitatem actus per se boni vel mali etiam *Finis*. Quanquam autem bonum & malum primario in actu sit ex ejus ordine convenienti vel inconvenienti ad objectum, cum quo actus ille, ceu principio formali primo omnium unitur, Finis autem quem operans intendit, per accidens actui superveniat, cum ad istum non suaptè natura, sed operantis intentione feratur, id quod variis modis contingere, à *Scholæ doctoribus* (z) ulterius docetur; verè tamen eundem afficit, cum *ratio sit sub qua* agens in objectum tendit. Unde cum actus circa finem ut acquirendum sit effectus finis, si finis turpis est, actus quoque qui propter finem

(z) Philipp. à Trin. l. c. p. 412.

finem ſuſcipitur turpis ſit neceſſe eſt: qualis enim intentio, talis quoque electio, qualis autem electio, talis quoque ab hac proveniens actio. Dari autem fines quibus ratio boni (ſub qua omnis finis appetitur) (a) honeſti per ſe, non ex divina demum impoſitione, inſit, dubium non eſt. Sicut enim de *veritate* humanæ naturæ loquendo, homo animal rationale eſt antecedenter ad divinam definitionem, ſicut triangulum eâdem præciſa, ex ſuæ eſſentiiæ veritate tres requirit angulos, ita qui finis humanæ naturæ rationali, ejusq; in objectum tendentiæ per ſe eſt conveniens, quin actui quoque humano per ſe congruus, & ſic in ſe quoque bonus ſit, dubium non eſt. Et quis *gloriam Dei*, quæ omniũ actionum noſtrarum finis ultimus eſſe debet, cujus etiam ſanctitatis & ſapientiæ gloriæ hanc opellam conſecramus, finem in ſe bonum eſſe, æquè ad divinam voluntatem libertimam antecedenter, atque ad eandem divinæ majeſtatis eminentia ſe habet, negaverit? Rationali etiam creaturæ & actui, non alius niſi rationalis finis poteſt eſſe proportionatus, minus ergo qui talis eſt ex ſe, hoc ipſo quoque ut homini inconveniens, ita malus per ſe relinquitur. Cumque finis actionis etiam reſpiciat ipſum objectum, ob agentis intentionem, ſi iſtius naturæ, & rationi objectivæ morali in ſe repugnat & inconve-

conveniens esse ille deprehenditur, ob defectum hunc per se quoque malus dici debet. v. c. dare eleemosynam, malo & hypocratico animo, ut *videatur ab hominibus (b)* malum est, quia finis hic eleemosynæ est incongruus: Insuper *quæ occurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ, tacitò danda sunt; ut nota sint solis, quibus prosint*, rectè ait *Seneca (c)*. Deniq; notanda est de hoc argumento Philosophia *Philippi à Trinitate (d)* eximia, qui quando finis bonitatem & malitiam actui confert, vel non confert, sic explicat: *Finis secundum se bonus & honestus & proportionatus actui quo appetitur, confert actui humano bonitatem moralem, si ab objecto malo vel aliunde talis actus non sit malus & sic influxus sinis non impediatur. 2. quod si finis bonus & proportionatus non confert actui humano bonitatem moralem ob dictum impedimentum, nec etiam illi confert malitiam moralem; sed potius minuit illam quam habet ex objecto. 3. Finis autem objective malus in genere moris; vel 4. etiam improportionatus actui humano, confert illi malitiam moralem.*

(b) Math. 6. 1. 2.

(c) 2. de Benef. c. 9.

(d) l. c. concl. p. 412.

§. 59. Nec IV. excludendæ sunt *circumstantiæ*, cum sicut vestiunt diversimode objectum partim in quod agens tendit, partim ipsum agens variè circumstant, ita hoc ipso actum quoque moraliter afficiunt, ut supra diximus. Quare sicut tales dantur circumstantiæ, quæ per se objectum, cui accidunt, reddere possunt actui agentis rationalis con-

congruum, vel superaddita disconvenientia incongruum, ita hoc ipso sunt principia bonitatis & malitiæ quæ *per se* talis dicitur: Et actus in quo ex variorum requisitorum moralium concursu & unione oritur bonitas moralis, ille unitur quoq; cum circumstantiis, quæque in illis ad naturam rationalem, objectumque rationali nostræ naturæ congruum reddendum, inest convenientia, hanc accipit, & hoc quoq; pacto redditur conveniens partim objecto, partim agentis naturæ rationali, & fit moraliter bonus. Causa autem sine qua non circumstantiæ suam in objectum & actum infundunt qualitatem moralem, est agentis voluntas: Nam *volita* hæc esse debent, ut etiam *Aristot.* (e) docet, & quo minus voluntatis, eo minus inde perfectionis moralis. Quare sicut objectum & finem actus respicit, ita quoque circumstantias, ut proinde non objectum tantum, etsi primario & per se, & finem, sed & circumstantias, *per modum adjuncti* scil. ut *Philipp. à Trinit.* (f) loquitur, velle censendus sit; quæ si ex se, non ex positione legis, sic fuerint comparatæ, ut objecto & actui possint communicare valorem humanæ naturæ rationali congruum, erunt bonæ, sin minus, malæ, actusque qui cum talibus circumstantiis unitur, bonus & malus. v.c. irasci in se malum non est, sed irascendo *modum excedere*. Hæc enim itæ qualitas

(e) 2. Ethic. 4.

(f) l. c. p. 462.

objectum reddit inconveniens ipsi irascendi actui, qui tali excessu, ceu modo planè incongruo, non debet circa hominem versari; reddit etiam actum hunc incongruum naturæ hominis, qua rationalis & socialis est, cui ista inordinatio, injuriam & cædem inferens proximo, planè est inconveniens.

§. 64. Cæterum actus morales non tantum redduntur mali, quando objectum inordinatis & repugnantibus vestitur circumstantiis, sed & quando *desunt circumstantiæ* debitæ, quæ requiruntur, ut objectum actui & agenti rationali sit conveniens, & vicissim hic illi. Ita beneficia, quibus debita justitiæ rectitudo deest, mala hoc ipso redduntur. Eleganter *Sopater*(g) loquitur: χάριτας δίκαιον ὑπερβαινούσας, οὐδ᾽ ὀνομαστέον ἐμοὶ δοκεῖ χάριτας, *gratiæ quæ justitiam transgrediuntur, ne gratiæ quidem mihi dici debere videntur.* Et quo plures etiam ejusmodi inordinationes, quæ ex defectu circumstantiarum debitarum exoriuntur, in uno vel altero actu concurrunt, eo pejor quoque actus redditur.

(g) apud *Stob.* Serm. 44. f. m. 319.

§. 65. Respiciunt præterea etiam *agentis personam* circumstantiæ, ita ut si hæ convenientes fuerint, à tali operante quoq; quæ proficiscitur actio, ex parte hujus requisiti, quod una quoq; cum aliis ad dandam actui bonitatem intrinsecam concurrit, debitam obti-

obtineat in genere moris perfectionē. Versari etiam dicitur *Aristotel.* (*h*) virtus non in proportione Arithmetica, seu medio rei, sed in *mediocritate personæ*; quod enim alii *nimium* est cibi, non tamen est Miloni. Sic quanquam cooperire nudum, dare eleemosynam, opera sint in se *moraliter* bona, in quantum tamen à *Gentilibus* proveniunt, per accidens propter *personam agentem*, quæ non est renata, peccatis sint contaminata, quia *mala arbor non potest bonos ferre fructus* doctore *Christo* (*i*). Unde & Gentium doctor *Paulus* (*k*) *πάντα μὲν*, inquit, *καθαρὰ τοῖς καθαροῖς, τοῖς δὲ μεμιασμένοις οὐδὲν καθαρὸν*, *omnia quidem pura puris, pollutis verò & infidelibus nihil est purum.* Fecerint licet *τὰ τοῦ νόμου*, contaminata tamen sunt vasis vitio, in quo concepta, ita ut & hic usurpes illud *Horatij*:

(h) 2. Ethic. 5. al. 6.

(i) Matth. 7. 18.

(k) Tit. 1. 15.

Sincerum est nisi vas quodcunq; infundis acescit, uti hæc eruditè à B. *Augustino* (*l*) disputantur. Sic quod actiones & passiones Christi satisfactoriæ sint infinitæ efficaciæ & meriti, ex ipsa persona infinita exoritur, ceu alibi explicatur.

(l) l. 4. contra Iulian. c. 3.

§. 66. Contingit verò ut hæ circumstantiæ, quæ sic ad dandum actui bonitatem & malitiam concurrunt, speciem moralem jam immutent, jam bonitatem & malitiam moralem intra eandem speciem augeant, vel minuant. Illud potissimum fit, quando actui jam ex objecto bono vel malo, novam boni-

tatis vel malitię speciem superaddunt: nimirum sicut in physicis substantiali formæ superaddita accidentalis, vel etiam alia substãtialis, ut in mistione, novam speciem in genere naturæ constituit, ita in moralibus nova circumstantia, actui ex objecti qualitate jam bono vel malo superveniens, in novam speciem boni & mali eundem immutat. Accidit autem hoc tum, quando sc. ista circumstantia specialem & novam, ex speciali & singulari ratione provenientem convenientiam vel repugnantiam ad naturam rationalem & socialem, & personam agentis, objecto superaddit: quo etiam in casu talem circumstantiam in conditionem & *rationem objecti transire, & fieri quasi quandam differentiam specificam* ejus, *Thomas* (m) docuit, & ejus interpres *Vasquez* (n). v.c. si quis rem alienam, pecuniam, invito domino contrectat, actus hic ex objecti ratione, quod ex intrinseca ratione tali actui repugnat, appellatur furtum; at si ista aliena pecunia sacra est, & ad usus sacros destinata, conditio hæc sicut specialem rationem disconvenientiæ istius pecuniæ ad actum furti infert, ideò nim. quia res sacra est, isti contrectationi novam etiam malitiam ex nova disconvenientiæ specie ortam superaddit, sacrilegium scilicet. *Sacrilegium* enim, ut rectè infert B. noster *Schallerus* (o) *non tollit furtum, sed manet furtum, & tantum dat furto novam speciem.*

(m) I. secundæ q.18.a.10.

(n) l.c. disp.53. §.384.

(o) l.c. §.20.

§.67. Hoc

§. 67. Hoc verò, ut nimirum intra eandem speciem bonitas vel malitia tantum augeatur vel minuatur, accidit, quando circumstantiæ *qua tales* aliunde supponunt bonitatem vel malitiam, nec ex se novam actui superaddunt, sed *quantum* duntaxat valoris qui est in bonitate & malitia actus, quam ita supponunt, secundum majus minusve variant, cum ut actus rectus sit moraliter, non tantum id dependeat ex concursu plurium circumstantiarum quoad essentiam, sed etiam quoad majus vel minus: furetur v.c. hic mille florenos, alter centum, circumstantia *quid* ratione *quanti*, quæ hic variat ex se nil boni vel mali adderet actui, cum & in bono reperiri posset actu, nisi accideret furto, & sic malitiam jam supponeret. Uterque itaque actus furtum est, sed variat accidentaliter secundum plus minusve malitiæ, quæ major est in illo, minor in hoc actu.

§. 68. Idem aliæ præstant circumstantiæ, v.c. *Quis*. Nam *criminosior culpa est*, inquit *Salvian.* (p) *ubi honestior status: si honoratior est persona peccantis, peccati quoq; major invidia, & atrocius sub sancti nominis professione peccamus, ubi sublimior est prærogativa, major est culpa.* Ita quæ ex mentis imbecillitate, ætatisq; defectu committuntur, minoris sunt malitiæ, & mitius hinc etiam puniuntur, quam quæ quis firmo sufficientique judicio præditus, ætateque non afflictus peccat: Hinc *Alvaricus* (q):

(p) 4. de Gubern. p. 134.

(q) Claud. de Vict. Stilic.

Si non mentis inops, fraudataq; sensibus ætas
præberet veniam, nunquam hæc opprobria linguæ
Turpia Danubius me sospite ferret inultus.

Sic quod attinet circumstantiam *quomodo*, homicidium ex proposito & προαιρέσεως commissum gravius est eo, quod casu accidit; accidit hinc enim, ut *sæpe de facto bene existimemus, de faciente male*, ut *Seneca* (r) loquitur. Aggravat etiam & minuit factum circumstantia *quibus auxiliis*. Veneno enim aliquem interficere qui nullas sibi parari insidias credit, alteriusque fidei vitam suam committit, atrocius est, quam aliquem ex proposito occidere, ceu *Molina* (s) docet.

(r) 3. de Ira c. 28.

(s) t. IV. de J. & J. f. 600. seqq.

§. 69. Augetur autem ab his circumstantiis vel bonitas, vel malitia actus, quam in eo inveniunt & præsupponunt, vel minuitur eadem. Illud fit, quando actui in substantia bono aut malo accedit aliquid, quo redditur melior, vel deterior, v. c. bonum est in se pauperi benefacere, sed qui majojora, quam aliàs fieri amat, ei exhibet beneficia, melius quid facit in eodem ordine bonitatis: cum verò malum in defectu & privatione rectitudinis, quam actus habere debet, consistit, quo longius ab hac rectitudine inesse debita actus removetur, seu id fiat per positionem & præsentiam circumstantiarum inconvenientium, sive quando actus pluribus, iisque debitis, caret circumstantiis

ſtantiis, eo pejor eſt. Incontinens v.c. qui ſimplicitate puellæ honeſtioris, & alias pię, ceu *vaſis infirmioris* abuſus, ſtuprum ei infert, peccat gravius, quam qui cum levi ſcorto & proſtibulo in lupanari conſueſcit. Minuunt autem bonitatem moralem quoad gradus illæ circumſtantiæ, quæ id in actu, vel objecto auferunt, quod, ſi adeſſet, melior eſſet futurus actus: quæ verò abſentia ſua faciunt, ut actus ſit minus malus, qui iiſdem poſitis pejor futurus fuiſſet, malitiam minuere dicuntur. De circumſtantiis aliis, quæ ad externam actus faciem tantum pertinent, qualis v.c. eſt *pulchritudo*, quam juxta illud Poëtæ: (r)

gratior & pulchro veniens in corpore virtus adjuvat.

(r) Virgil. 5. Æneid. v 344.

ut plura addamus, præſens non requirit inſtitutum.

§. 70. Ex his itaque principiis in actu concurrentibus, & vel convenienti quadam, vel inconvenienti ratione unitis, per ſe oritur bonitas vel malitia moralis, tam quoad *eſſentiam*, quam quoad *majus & minus*, ſicut ex unione materiæ & formæ corpus ſit naturali. Quanquam autem iſta principia bonitatis & malitiæ contingenter concurrant, ſi tamen ut bonitas in actu conſurgat, concurrere debent, eo & non alio modo, quam explicavimus, etiam nemine ita definiente, concurrere poſſe & debere, ut *vera*

exinde bonitas Ethica, quoad *esse* tantū, non quoad *existere* spectata, consurgat, nobis videtur; sicut etiam antecedenter ad omnem divinę voluntatis determinationem & beneplacitum, prout *Rhaterfort* (u) loqui amat, vel si *DEUM non dari* fingas cum *Grotio* (x), scholastico ore loquente, ad *veritatem essentiæ* corporis naturalis, etiam non futuri, requiritur materia & forma. Semper enim hic distinguendū inter *actum essentiæ* ratione veritatis suæ consideratæ, & *actum existentiæ*, quorum ille se ad divinam definitionem antecedenter, hic verò se non nisi consequenter habet.

(u) l. c.

(x) Proleg. I. B. P.

§. 71. Usus hujus Philosophiæ etiam esse potest contra *Moralistas Pontificios*, quando de actibus illis interioribus, qui *motus primo primi* illis audiunt, quales sint quoad *esse moris* disquiritur. Secundum accuratiorem Christianorum disciplinam qui hic philosophari malunt, duplicem faciunt in homine pugnam interiorem, alteram à sanctifica Spiritus Sancti gratia in bonum propendente, cui congenita illa pravitas contranititur provenientem, quam luctam *spiritualem* possis vocare, luctam sc. *carnis & spiritus*, uti *Paulo* (y) dicitur; alteram ab appetitu sensitivo, appetitui rationali in suis appetitionibus reluctanti, exortam, quam luctam *moralem* dixeris, de qua sic *Aristot.* (z) λόγος ὀρθῶς ἐπὶ τὰ βέλτιστα παρακαλεῖ. φαίνεται δὲ ἐν αὐτοῖς καὶ ἄλλό τι παρὰ τὸν λόγον πεφυκὸς, ὃ μάχεταί τε καὶ ἀντιτείνει τῷ λόγῳ, *ratio ad optima nos hortatur*;

(y) Gal. 5, 17. Rom. 7. 14.

(z) 1 Ethic. c. ult.

tatur, est verò aliud præter rationem contingens, quod rationi reluctatur. Cæterum motus hi interiores spiritui & rationi repugnantes possunt considerari, vel ut sunt primæ illæ suggestiones, quæ usum rationis prævenientes, ante omnem de illis consultationem & deliberationem titillant, ad malum inclinantes, quæ *motus primo primi* appellantur; vel ut sunt admissi, cum morosa delectatione, approbatione, & de perficiendo consultatione conjuncti. Hi quin ex objecti, cui sunt incongrui, finisque, agentis etiam, aliarumque circumstantiarum ratione mali sint, dubio caret, per ea quæ hactenus prolixius diximus. Unde & lex naturalis, cum ad hominis rectitudinem non exterior tantum facies pertineat, sed & velit, ne interius quid mali moliamur, harmoniamque motuum interiorum & exteriorum hoc nomine urgeat, rectè pravas illas interiores cogitationes, motusque voluntatis malos prohibere dicitur. Ex cujus lumine etiam *Stoici* olim *ἀγελαδίαις*, quod *voluntariæ* sint, apud *A. Gellium* (a) improbarunt.

§. 71. Priores autem istas suggestiones quod attinet, propriè & per se nec bonas nec malas æstimari debere, alii quidem contendunt. *In sensualitatis enim motu nequaquam peccari, nisi ei voluntate consentiatur*, ait *Gregor. de Valent.* (b). De his motibus *David à Mauden.* (c) ita philosophatur: *motus* concupiscentiæ sc. primo tentantis, *non sunt in nostra pote-*

(a) Noct. Att. l. 19. c. 1.

(b) t. 2. disp. 6. q. 4. punct. 2.

(c) Discurs. Moral. in Decal. f. m. 1127.

potestate, ut eos avertere ac vitare possimus: non sunt actus humani seu liberi, qui à ratione advertẽte, & voluntate consentiente procedunt: sed sunt actus imaginationis & appetitus sensitivi. Ast cum sublimior nos doceat revelatio, non à *vitio materiæ*, uti Gentilium quidem error vulgaris habet, quos multi Christianorum incautè sequuntur, sed generis humani peccato in Adamo, ceu radice peccante, commisso provenisse, ut, cum ante non ex freno rectæ rationis, vel etiam imaginis divinæ, appetitus sensitivus, affectus & cupiditates inferiores coërcerentur, sed naturâ sua dispositæ essent, ut superioribus facultatibus non contrarium, sed similem motum ederent, amicâ quæ in homine erat harmonia, miserabilis illa dissonantia una nunc vice hominẽ in diversa distraheret; rationẽ reddere jam possumus, & explicare, quomodo etiam consensu tali non accedente, quem ad rationem peccati necessarium esse alias urgent, primæ illæ irritantes & titillantes suggestiones sint pravæ & turpes. Omnis enim motus per se inordinatus circa objectum, privativè talis, est malus, sed motus nostri primo primi sunt tales. Sunt enim non solus motus naturæ corruptæ qua talis est, sed ea insuper illis inest inordinatio, quæ abesse debebat & poterat; Nam si homo non peccasset, contrarios ejusmodi, vel alios ad vitium motus impellentes non sensisset. Culpâ etiam intellectus & voluntatis languidæ fit, si hi motus ratio-

rationem omnem, intellectusq; judiciũ anteverrant. superioris enim facultatis est motibus & affectibus modũ præscribere, quod cum sua culpa illa præstare nesciat, sibi imputet, quod à lege hoc nomine etiam accusetur. Quæ de *puris naturalibus* alii fingunt, alibi discutitur. Subscribit ex Patribus *Clemens Alexandrin.* (d) qui πρώτας ἐκ γενέσεως ὁρμὰς καθ᾽ ἃς Θεὸν οὐ γινώσκομεν, ἀσεβείας, *primas impulsiones & motus ex generatione, per quos, DEUM non cognoscimus, impietates*, confitetur. Nec alia B. *Augustin.* (e) aliorumque mens fuit.

§. 73. Quæ cum ita sint, patet, quod quanquam primos istos motus legi naturali adversari, per naturam, & discriminis honestorum & turpium naturalem cognitionem, nobis constare certo non possit, revera tamen peccata sint contra legem naturalem commissa, id quod ex legis hujus per Decalogum facta repetione satis constat. Nec tantum is censetur peccare contra jus naturæ, qui actu peccat, sed & qui ad peccandum inducit, inclinat, id quod faciunt motus illi primo primi, *peccatum peccans* hoc nomine dicti. Unde B. *August.* (f) *Quis*, inquit, *tam est imprudens, impudens, insanus, qui cum peccata mala esse fateatur, negat esse malam concupiscentiam peccatorum.* Ex quo & hoc consequitur, quod lex naturæ non externas actiones, sed interiores etiam cogitationes, voluntatisque actus dirigat. Nimirum sicut imperium civile primò respicit actiones exter-

(d) 3 Strom. f. 469.

(e) vid. Iansen. Yprens. l. 2. de Nat. st. puræ c. 14.

(f) contr. Iulian. l. 6. c. 5.

nas, dein verò internas. & has non nisi propter illas, aut quatenus cum illis conjunguntur, quę etiam quando manent *mere internæ*, ab humana jurisdictione eximuntur, & ad forum divinū pertinent, prout erudité hæc disquirit celeberr. *Pufendorfius* (g): ita è contrario divinū imperium, quo ceu divina lex jus naturæ pertinet, respicit mentem hominis, actusq; interiores, deinceps demū exteriores, cum hi illorum sint signa & effectus.

(g) de I. N. G. l. 8. c. 3. §. 14.

§. 74. Ita ergò constare puto, unde cognosci possit, an & quomodo aliquid *in se* sit honestum vel turpe. Nimirum cum explicatum sit, quomodo in actu exoriatur τὸ *morale*, exoriatur *itidem bonum & malum*, ex principiis aut conditionibus necessariis, & ad talem valorem dandum *per se* aptis, prout ex conjunctione materiæ & formæ corpus naturale consurgit, patet, quod ubi ista requisita, quæ ex se, & præcisa divina voluntate, actum bonum & malum formaliter reddere possunt, concurrunt, talis actus quoq; quoad veritatem moralem bonus aut malus sit, antecedenter ad divinum beneplacitum; quæ verò principia moralia talia non sunt, talem quoque non constituant actum.

§. 75. Nec dum hæc ita hactenus docuimus, sectamur novitaté, aut agimur contradicendi pruritu; cum fuerit, sitq; adhuc hodiè clarorum virorū hæc sententia. Ex Patribus ita docet *August.* (h) ubi cōcedit Evodio, non ideò adulterium esse malum, quia vetatur

(h) de Lib. Arb. l. 3.

tur lege, sed contra ideò vetari, quia malú est. Ex Doctoribus qui *Schola* sequuntur ita sentiunt, ut complures alios mittamus; *Molina* & *Vazquez*, quorum verba aliquoties sunt adducta. Ex nostratibus Theologis, è pluribus ita scribit B. *Dannhavverus* (i) *Lex naturalis si maximè lata non esset, tamen judicio rectæ rationis videretur obligare, sicut homo est animal rationale, etsi nulla unquam hominis edita fuisset definitio. Unde datur aliquid ut natura honestum, ita & turpe, idq; antecedenter ad Dei voluntatem*, ut alibi (k) loquitur. E Reformatis, ut alios taceamus, rigidus ille Supralapsarius *Gisbert. Voet.* (l) severe in suos, qui consequenter ad divinam voluntatem honestum ac turpe ponunt, invehitur. E Juris naturalis doctoribus ipse *Hugo Grot.* (m) cum ea quæ sunt Juris naturalis etiam *locum habitura* docet, *etsi dicamus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum*, si quoad rationem juris, uti vir doctissimus putat, quo nomine tamen à B. *Bœclero* (n) nostro, & aliis rectè notatur, multo magis quoad rationé veri. Unde & alibi (o), *actus de quibus extat legis naturalis dictatum, debitos esse ac illicitos per se* affirmat, *atq; à DEO necessario præceptos, ac vetitos intelligi.* Eadem est sententia *Ziegleri* (p). Addimus his *Philipp. Melanchthon.* (q) *Ut mens*, inquit, *ipsa luce sua cernit hanc propositionem veram, certá & immotam esse, bis quatuor sunt octo: sic vera & immota est hæc sententia, adulterium est turpe, & vitandum.* Ex Christianis plures non addimus. Ex Gentilibus

(i) Theol. Cōscient. T. 1. p. 45.

(k) Hod. Calv. p. 1098. 199

(l) Disp. Sel. T. 1. p. 367.

(m) Proleg. I. B. P.

(n) Com. Grot.

(o) de I. B. l. 1. c. 1. n. 10.

(p) Not. in Grot. p. 52.

(q) Epist. enarrat. Ethic. præmiss.

(r) 2.Ethic. 6. libus ita docuit *Aristotel.* (r) ἐπιχαιρεκακίαν, ἀναισχυντίαν, φθόνον, καὶ ἐπὶ τῶν πράξεων, μοιχείαν, κλοπὴν, ἀνδροφονίαν αὐτὰ φαῦλα εἶναι, *malevolentiam, impudentiam, invidiam idem actiones, adulterium, furtum, homicidium, ipsa mala esse* monet. *Cicero* quoq; passim contra eos disputat, qui honestum & turpe in opinione & populorum legibus fundari garriunt. Nec aliud sua *boni Idea*, recta intellecta, voluit *Plato*, ceu alibi explicatur.

(s) art.8.2. sqq. §. 76. Quæ cum ita sint, patet jam quid de sententia adversariorum supra (s) adducta, habendum sit. Merito *Vasquio* reponimus illa *Voët.* (t) sc. *nullum* hac ratione esse *atheismum, Epicureismum, Diabolismum, Magiam, odium & abnegationem* DEI, *blasphemiam, quem* DEUS *non posit liberè velle mandare, & ipso facto mandare tanquam moraliter, ac spiritualiter bona, ac sibi placentia.* Rectè etiam judicat Dn. *Pufendorf.*

(u) Append. ad differt. Acad. p. 586. (u). Vasquianum hunc *Indifferentismum*, vel si quis credat, *DEUM creare* potuisse *hominem adstrictum ad ejusmodi legem naturalem, quæ ei, quam nunc habemus contraria præcepta contineret, absurdum & contradictorium esse, quia si ad contraria officia fuisset adstrictus, non is homo, sed aliud animal horridum ac ferum esset.* Quanquā ex his verbis nobis etiā videatur sequi, (salvo tamen aliorum judicio) honestatem & turpidinem moralem potius cadere in hominis actus antecedenter ad divinam impositionē, sicut ipsa ratio humanæ essentiæ ratione verita-

ritatis suæ se antecedenter habet, quicquid sit de dependentia ejus à DEO, quæ veritatem sequitur, & ceu modus entis ad existentiam potius pertinet, quam consequenter. Nimirum distinguendum esse putamus inter obligabilitaté naturæ humanæ, & actualé obligationem, illa cadit in hominem, quia est morale agens, antecedenter ad divinam impositionem; hæc consequenter, & non nisi per divinam voluntatem, per legem naturalem præcipientem & obligantem.

§. 77. *Rhetorfortem* verò quod attinet, non satis est, quod DEI *beneplacitum intelligat, quatenus à sapiente* DEI *intellectu determinatur. cujus esse* dicit *rerum essentias & essentiarum gradus effingere & constituere*; cum enim non secundũ suam tantum sapientiam, sed & sanctitatem purissimam DEUS velit, quicquid vult, non aliter, quam prout & à sanctitate ipsius est determinatum, intelligi debet *divinum hoc beneplacitum*. Cujus radius in nobis resplendescens cum sit lex naturæ, ea quæ sunt hujus legis, secundum *veritatem* suam, non quatenus legaliter præcepta sunt spectata, antecedenter quoque ad divinam voluntatem, juxta modum nostrum concipiendi se habere necesse est, cum non ideò *primo* DEUS sanctus sit, quia sancta vult & præcipit, sed ideò potius sancta quoque velit & præcipiat, quia per naturam suam sanctus est. Dein sicut hoc, quod DEUS rerum essentias effin-

git,

git, non impedit quo minus triangulum ex tribus angulis constare dicatur antecedenter ad divinam voluntatē, imo si cum *Thoma Aquinate* & *Grotio*, illo Scholæ, hoc politiorum literarum doctore principe, DEUM non dari fingas; ita licet idem asserere de rerum essentiis, illisque quæ sunt naturaliter honesta & turpia. Non debuit Tibi Deus humanam naturam, sed te hominem creaturus, impossibile erat, ut aliam quam rationalem tibi daret essentiam, cum, si ita concipias, ante divinæ sapientiæ conceptum, vel hoc non ex ficta hypothesi dato, verum sit immutabiliter hominem esse animal rationale. Ex quo sequitur quod & ante divinam voluntatem homini ratione naturæ suę certi actus sint congrui, & quia homo per naturam suam est ens morale, hoc quoq; sensu morales, quanquam hunc non nisi per voluntatem DEI præcepti. Quam inepiè autē *homicidium & esus arboris scientiæ*, peccatū naturale & positivum conjungantur in hac cōtroversia, patet. quando *Verò, quod habeat homo talē essentiam, non aliam, a Dei decreto libero esse* dicit, id sicut de modo habendi essentiam recte dicitur, ita si de *Veritate* essentiæ intelligi debet, rectè negatur, cum non sic velit Deus hominem esse animal rationale, ut velle possit eum oppositis differentiis & proprietatibus esse instructū, ut tamen verus sit & maneat, non fictus homo, quod æquè minus velle potest sapientissimum Numen, quam id quod verè implicat contradictionem. Causa verò, quod divinam voluntatem primum moralitatis principium esse contendunt, qui sic docent, est, quia semper considerant hominem in ordine ad existentiam, quatenus dependens, & quid ex destinatione creatoris sit, cum nos eundem absolutè, ratione essentiæ suæ, præciso isto respectu, in hac veri investigatione considerandum esse, & considerari posse, prout *prima* docet *Philosophia*, existimemus. Cætera *Rhætorfortiana* impietatē sapiunt *Vasquezianam*, & Indifferentismi sunt principia, ab illis etiam, qui originē moralitatis à divina voluntate derivant improbata. *Hobbesii* denique phantasmata à primis Philosophiæ hujus principiis cum aberrent, ut prolixius rationis radio discutiantur, opus non videtur. Otium hic eruditè celeberrimus *Pufendorfius* fecit.

de I. N. G. l. 8. c. 1. §. 5.

ARTICULUS IX.

De

Conformatione creaturæ rationalis cum Creatore.

§. 1.

HÆc quæ de veritate Juris naturalis, salvo aliorum tamen, quibus aliter videtur, judicio, hactenus diximus; illustrari partim, partim etiam probari possunt, per illa, quæ de *similitudine hominis cum* DEO apud Christianos passim & Gentilium habentur Philosophos. Si enim lex naturæ est radius divinæ in nobis resplendescentis sanctitatis, hoc ipso uti aliqua homini cum DEO intercedit similitudo, ita vere tale, non fictum quid sit necesse est id quod bonum vel malum dicitur, in lege naturali vel præceptum, vel prohibitum. Per naturam enim suam sanctus cum DEUS sit, ipsiusq; sanctitas non in opinione posita, sed verè talis in ipsius natura immutabili fundetur, sanè id quod sanctum, honestum, justum bonumque audit, verè quoque tale sit necesse est, cum sicut se habet ἀρχέτυπος, ita quoque hactenus se habeat ἔκτυπος.

§. 2. Assimilari DEO quod teneamur, docet ejus præceptum (a): *Estote sancti, quoniam ego sanctus sum*; insinuans exemplum divinæ sanctitatis mortalibus quoque & regulam, & sti-

(a) Levit. 11. 44. c. 20. 7. 26. 1. Pet. 1. 16.

& ſtimulum ſanctitatis in illis eſſe debere, ſalva tamen iſta eminentia, qua creator infinitus creaturam ſuam poſt ſe relinquit. Reſpicere nimirum debemus ea potiſſimum divina attributa, quæ ſub virtutis alicujus nomine nobis commendantur, ut ſunt: veritas, bonitas, φιλανθρωπία, miſericordia, juſtitia, ſanctitas, odium peccati &c. divinis quippe hiſce attributis conforme ſit neceſſe eſt, quicquid eſt juris naturalis, & à DEO nobis præceptum. Quæ conſiderans Theologus accuratiſſimus B. *Dannhavverus* (b) ita ſcribit: *Lex naturalis eſt per ſe bona, ac idea ſanctitatis divinæ conſentanea, adeò ut ſi vel maximè nunquam lata fuiſſet, tamen verò judicio videretur obligare.* Quare ſi judicio *Senecæ* (c) *aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus, ut Epicurus præcepit.* Siq; eodem Sopho doctore *opus eſt aliquo, ad quem mores noſtri ipſi ſe exigant,* cui quæſo aſſimilari conabimur, cuique nos ſimiles potius eſſe congruum eſt, quemque præ aliis etiam intueri, ceu exemplum nos oportet, quam DEUM, ad cujus imaginem & ſimilitudinem conditi ſumus? qui hinc Doctore *Chriſto* debemus eſſe *οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν οἰκτίρμων ἐστι, miſericordes, ſicut & pater noſter miſericors eſt:* καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, & induere

(b) Hodoſoph. p. 465.

(c) Epiſt. 11.

re novum hominem, qui juxta DEUM conditus est per justitiam & sanctitatem veritatis; ut Gentium Apostolus *Paul.* (*d*) loquitur. (*d*) Eph. 4. 24.

§. 5. *Gentiles* quoq; hunc hominis finem esse, eumq; cum DEO conformari debere, docuerunt. *Hesiodus* (*e*), teste *Plutarcho* (*f*), *proximus ab Homero gloria & tempore*, ut otium fugiant monet homines; quia DEO *similes* sint futuri, δαίμονι δ' οἷος ἔησθα. *Plato* etiã & *Socrates*, quicquid sit de horũ πράξει minus nonnullis probata ap. *Theodoretum* (*g*), hanc cum Deo assimilationem ita docuerunt (*h*): διὸ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμοίωσις δὲ, καὶ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι; *quare conandum est, ut hinc illud quam celerrime fugiamus: fuga autem est, ut DEO similes pro viribus efficiamur: DEO similes efficit cum prudentia, justitia simul & sanctitas*. alibi (*i*), idem *Plato* ex *Socratis* mente τὸν ὅμοιον Θεῷ τὸν ἀγαθὸν, *similem DEO virum bonum* esse dicit. Et hanc creaturæ rationalis cum creatore suo conformationem docuisse *Platonem* testatur etiam ex Gentilibus *Plutarch.* (*k*) σκοπεῖτε πρῶτον, ὅτι κατὰ Πλάτωνα πάντων καλῶν θεὸς ἑαυτὸν ἐν μέσῳ παράδειγμα θέμενος, τὴν ἀνθρωπίνην ἀρετὴν, ἐξομοίωσιν οὖσαν ἁμωσγέπως πρὸς αὐτὸν ἐνδίδωσι τοῖς ἕπεσθαι θεῷ δυναμένοις, *considerate primum, quod Platone autore DEUS se in medio exemplar omnium bonorum cum proposuisset, humanam virtutem, qua homo similis DEO aliquo modo saltem redditur, parandam concessit his qui DEUM sequi*

(*e*) Oper. & di. v. 314.

(*f*) T. I. opp. f. 105.

(*g*) T. IV. Opp. 674.

(*h*) Plat. Theæt. f. m. 128.

(*i*) Min. f. 46. ad l. 4. de LL.

(*k*) T. I. Opp. f. 550. de his qui sero à Num. pun.

(l) Strõ. f. 403.

possunt. Ex Christianis consentit *Clemens Alexandrin.* (*l*) Πλάτων ὁ φιλόσοφος εὐδαιμονίας τέλος τιθέμενος, ὁμοίωσιν θεῷ φησὶν αὐτὴν εἶναι κατὰ τὸ δυνατὸν, *Plato philosophus finem ponens beatitudinis, dicit eam esse DEO assimilationem quoad ejus fieri potest.*

(m) in aur. v. 45.

§. 4. Quid quod ante *Platonem* ita quoq; *Pythagoras* docuerit? cujus (*m*) hæc dicuntur fuisse verba:

(n) vid. Hierocl. p. 222. Marcill. in Carmin. Pythag. p. 370.

τούτων χρὴ ἐρᾶν σε,
ταῦτά σε τῆς θείης ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει (*n*).
horum (quæ hactenus sc. monuerat) *amatorem te decet esse,*
Hæc te in vestigia divinæ virtutis collocabunt.

(o) vit. Pythag. p. 198.

(p) l. de regno.

idem de eodem testatur *Porphyr.* (*o*) Nec alia mens fuit *Pythagoricorum.* De regni administratione agens *Diotogen.* (*p*) ἐπὶ πᾶσι, inquit, δὲ τούτοις, μναμονεύειν δεῖ, ὅτι θεόμιμόν ἐντι πρᾶγμα βασιλεία, *hæc omnia cogitando meminisse oportet, regnum ad DEI imitationem maximè esse comparatum.* Sc. regnum cum sit vicaria DEI in his terris potestas, regni statum futurum esse felicem, si justa & sapiens ejus administratio Dei exemplo fuerit: Quod prolixius *Sthehnidas Locrensis* (*q*) docuit, ἄριστα, scribens, μιμέοιτο τοῦτον (Θεὸν sc. βασιλεὺς) εἰ μεγαλόφρονά τε καὶ ἅβρον, καὶ ὀλιγοδέα παρασκευάζοι αὐτὸν, πατρικὰν διάθεσιν ἐνδεικνύμενος τοῖς ὑφ' αὐτῷ, *optimè DEUM rex imitabitur, si ad magnanimitatem, gravitatem, & paucorum indigentiam sese comparaverit, subditis suis patrium affectum exhi-*

(q) de regno. in Ioh. Spond. Fragm. Pythag.

bens. Ita quæ nos DEO ſimiles reddant explicat *Hierocles* (*r*) paſſim, & ex communi ſuorum ſententiâ ita loquitur: (*s*) φασὶν οἱ Πυθαγόρειοι, τιμήσεις τὸν Θεὸν ἄριστα, ἐὰν τῷ Θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς, *DEVM ajunt, Pythagorei, honore afficias quam optimè, ſi eidem ſias animo ſimilis.* Nec diſſentit *Porphyrius*, æquè juratus Chriſtianorum hoſtis, imò teſte *Theodoreto* (*t*) πάντων ἔχθιστος *omnium infenſiſſimus*, qui Pythagoram non ſolùm *veritati ſtudendum*, τοῦτο γὰρ μόνον δύνασθαι τοὺς ἀνθρώπους ποιεῖν Θεῷ παραπλησίους, *hoc enim ſolum homines DEO ſimiles efficere poſſe*, docuiſſe autor eſt (*u*); verum illos quoque Philoſophos potiſſimum eſſe affirmat (*x*), qui ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς τούτου μιμήσεως τὴν σφῶν εὐδαιμονίαν ἀνάψαντ, *ex DEO & ejus imitatione felicitatem ſuam pendere arbitrantur.*

(*r*) in Aur. Pythag. p. 174. 222.

(*s*) l. c. p. 23 ſeq.

(*t*) t. IV. Opp. f. 679.

(*u*) de Vit Pythag p. 198.

(*x*) de abſtinẽt. §. 3. ad 34. 49.

§. 5. *Ariſtoteles*, etſi de ejus pietate non omnes idem ſenſerint, & ipſe tamen ultimam & perfectam hominis felicitatem in quadam cum Deo ſimilitudine ponit, quanquam hanc non per *actionem*, ſed *contemplationem* potius fieri contendat (*y*); cum enim θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος, θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον *divina res ſit mens ad hominem, etiam ſecundum eam vita divina erit ad humanam vitam* (*z*). in ſequentibus (*a*) ſic infert: ὥστε ἡ τοῦ Θεοῦ ἐνέργεια, μακαριότητι διαφέρουσα, θεωρητικὴ ἂν εἴη· καὶ τῶν ἀνθρωπίνων δὴ ἡ ταύτῃ συγγενεστάτη, εὐδαιμονικωτάτη, *quare DEI actus beatitudine antecellens in contemplatione erit: & ex humanis*

(*y*) l. 10 Eth. c. 7. & 8.

(*z*) l. 10. Eth. c. 7.

(*a*) l. c. c. 8.

manis qui huic maximè affinis est, felicissimus erit, τοῖς μὲν γὰρ θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος, τοῖς δ' ἀνθρώποις ἐφ' ὅσον ὁμοίωμά τι τῆς τοιαύτης ἐνεργείας ὑπάρχει, *diis enim omnis vita beata est, hominibus verò quatenus similitudo quædam talis actus inest.*

(b) p m.670. Explanatio *Eustratij* (b) Nicæni Episcopi sic habet *Feliciano* interprete: *Optima res & maximè* DEO *cognata noster intellectus est. Gaudet siquidem* DEVS *omnibus a se effectis rebus, utpote quæ valde bona sint, intellectu tamen præcipuè, eo quod maximè sibi est cognatus, oblectatur. cognatus igitur* DEO *uniuscujusq; nostrum intellectus est ex operationis similitudine.* paulò ante (c) idem sic dixerat: *Contemplativi felicis intellectio & perceptio, similitudo quædam est intellectionis* DEI, *qua seipsum intelligit. Quod si ita est, felicis quoq; contemplativi beatitudinem similem divinæ, non eandem cum ea esse constat.*

(c) pag.568.

(d) 1.de Legg.

§. 6. Quanquam verò & *Cicero* (d) ex hoc quod in homine *ratio* sit, ejusdem cum DEO similitudinem & cognationem probatum eat: sic enim loquitur; *Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaq; & in homine, & in* DEO, *prima homini cum* DEO *rationis societas.* quod cum ulterius in sequentibus explicasset, infert: *Est igitur homini cum* DEO *similitudo.* hæc tamen non est illa cum DEO conformatio, ad quam virtutis & veritatis studio homines contendere debere, vel *Aristoteles*, vel alii Philosophi dixerunt, cum *Ratio* potius fundamentum sit, quare ista cum DEO similitudo

tudo sit eis conveniens, & hominem ad eandem anniti deceat. Nimirum sicut DEUS, qui est intellectuale agens, sanctus, justus, bonus, misericors &c. est, ita cum de divino hoc lumine radios homo acceperit, rationem sc. ob hujus eminentiam nos quoque sanctos, justos, bonos &c. esse debere, rectè concluditur. Unde rursus *Cicero* mox concludit, *nos ad justitiam esse natos, neq; opinione, sed naturâ constitutum jus esse*. Nec etiam intellectus sola, sed & voluntatis debita conformitas ad similitudinem cum Deo requiritur; non enim sufficit illum rectè judicare, idemque ex rationis rectitudine pronunciare bonum & malum, quod divino tale est judicio, sed & hanc. voluntatem sc. id quod bonum, justum & sanctum est eligere oportet. Imò rationis jussis obtemperandum est, ut DEO assimilentur, in quantum scil. ejus per virtutem imitatores esse possumus. Unde & *Eustratius* (e) citra virtutis studium nullum posse intellectum DEO cognatum amare affirmat: *Amat autem cognatum DEO intellectum ille, qui totam virtutem complexus multiplices appetitus, innatosque sensus, utpote qui cogitationem decipiant, nec non imaginationes, quæ formant nobis partiunturq; res ipsas, immensamq; varietatem inducunt, effugit, aversatus item est opiniones, quæ variæ etiam ipsæ cum sint, ad externa feruntur, sensui & imaginationi conjuncta: omnis enim opinio cum irrationali sensu & imagi-*

e) l. c.

natione operatur. Ex aliis interpretibus *Aristotelis* hanc cum DEO conformationem, ut plures mittamus, ita describit *Ammonius* (*f*): τέλος δὲ τῆς φιλοσοφίας ἡ πρὸς τὸν Θεὸν ὁμοίωσις. In ipsa Philosophi nostri doctrina quid alias desideretur, notarunt *Ioachim. Camerar.* (*g*) & *Obert. Gifan.* (*h*) Ipse etiam *Eustratius* (*i*), ceu Christianus, alibi aliter de hac assimilatione cum DEO loquitur: *Cum ad imaginem & similitudinem DEI formati simus, necesse est, ut omni quæ præter naturam contracta est, sorde expurgata, omniq; quæ ex materia provenit, temeritate diligenter excussa, contagione item mortalis corporis rejecta, convenientem nobis bene vivendi constitutionem conciliemus, atq; ita demum nos ipsos ad exemplaris imitationem conformemus atque expoliamus, si modo causatum causæ conjungere voluerimus.*

§. 7. *Stoicorum* etiam doctrina publica quasi fuit dogma conformationis creaturæ humanæ cum Creatore. Non equidem quantum *Claud. Salmasius* (*k*) Stoicæ Philosophiæ tribuit, ego eidem tribuerim, hoc tamen illa se nomine comendat, quod cum ob rationis radium cognationem quandam cum Deo habeamus, ejus quoque per virtutẽ imitatores esse, eiq; similes reddi debeamus. Quanquam enim suum *convenienter naturæ vivere* non uno explicarint modo, revera tamẽ conspirare, & deniq; in *sequela DEI* convenire *Lipsius* (*l*) docet, olim jam *Clemente Alexandrino* (*m*) idem ob-

(*f*) ad l. Categor.

(*g*) Cõ. in Eth. Arist. p. 485.

(*h*) Cõ. in Eth. Nic p. 822.

(*i*) Explan. p. m. 6.

(*k*) Præf. in Simpl. Cõ. in Epict.

(*l*) Manud. ad Phil. St. l. 2. Diss. 14. sqq. diss. 19.

(*m*) 2. Strom. f. 404. ad 5. Strom. f. 594.

observante; sic enim Patrum doctissimus: οἱ Στωϊκοὶ τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν, τέλος εἶναι ἐδογμάτισαν, τὸν θεὸν εἰς φύσιν μετονομάσαντες εὐπρεπῶς, *Stoici naturæ consequenter vivere, finem esse statuerunt, eleganter DEI nomine transmutato in naturam.* Unde *Epictet.*(n) suorum Philosophiam in compendium missurus scribit: ὁ προηγούμενος λόγος τῶν φιλοσόφων, λίαν ἐστὶν ὀλίγος, εἰ θέλεις γνῶναι, ἀνάγνωθι τὰ Ζήνωνος, καὶ ὄψει. τί δὲ ἔχει μακρὸν εἰπεῖν, ὅτι τέλος ἐστὶ τὸ ἕπεσθαι θεοῖς, *principalis & præcipua philosophorum doctrina perbrevis est. Quod si cognoscere vis; legito scripta Zenonis & videbis. Nam quæ est in isto sermone prolixitas, finem esse sequi Deos.* cujus finis alibi (o) etiam mentionem facit. Qua ratione autem ista cum DEO assimilatio institui debeat *Seneca*(p) docet: *satis illos, Deos sc. coluit, quisquis imitatus est.* Expressius *Epictetus:* (q) οἷοι ἂν ἐκεῖνοι (Θεοὶ) εὑρεθῶσι τὸν ἐκείνοις ἀρέσοντα καὶ πεισθησόμενον ἀνάγκη πειρᾶσθαι, κατὰ δύναμιν ἐξομοιοῦσθαι ἐκείνοις, εἰ πιστόν ἐστι τὸ θεῖον, καὶ τοῦτον εἶναι πιστόν· εἰ ἐλεύθερον, καὶ τοῦτον ἐλεύθερον· εἰ εὐεργετικόν, καὶ τοῦτον εὐεργετικόν· εἰ μεγαλόφρον, καὶ τοῦτον μεγαλόφρονα, ὡς θεοῦ τοίνυν ζηλωτήν, τὰ ἑξῆς πάντα καὶ ποιεῖν καὶ λέγειν. *quales dii reperientur, talis ut sit etiam is, qui illis placere ac parere volet, opera necessariò danda erit, & ut quam proximè ad eorum similitudinem accedat. si numen fidele est: illum quoq; fidelem esse oportet; si liberum; illum quoq; liberum,*

(n) Arrian. l. 20. p. m. 138.

(o) c. 12. p. 118.

(p) Epist. 95.

(q) l. 2. diss. 14 p. 207. ad l. 4. c. 11.

Si beneficum, illum quoque beneficum. ſi magnanimum, illum quoque magnanimum eſſe oportebit. Deniq; ut imitatorem DEI, reliqua omnia & facere & dicere. Epicteti commentator *Simplicius* (r) περὶ τὸν Θεὸν ὁμοίωσιν *ſimilitudinem cum DEO tale* quid eſſe ait, quo illis quæ *inferiora & poſteriora DEO ſunt, nullum majus bonum contingere poteſt.* qua verò ratione iſtam cum DEO conformationem homo conſequatur, in ſequentibus exprimit. Alibi (r) quomodo homines Deo diſſimiles, & rurſus ei conformes reddantur, ſic docet: ἡμεῖς χαυνωθέντες δὲ ταῖς εἰς τὸ παρὰ φύσιν ἐκπτώσεσι, καὶ ἀνομοιωθέντες πρὸς τὴν θείαν ἀγαθότητα, διὰ τοῦ ἄδικοι, καὶ ἀσεβεῖς καὶ ἄφρονες γίνεσθαι, ἀποσπῶμεν ἑαυτοὺς ἐκεῖθεν. *Nos depravati, & contra naturam prolapſi, divinaq; bonitatis diſſimiles facti per injuſtitiam, impietatem atq; amentiam, nos inde avellimus.* mox pergit: ἀνακλώμενοι δὲ τὸ κατὰ φύσιν ἑαυτῶν, καὶ πρὸς αὐτὸν ὁμοιούμενοι (ὁμοίωσις δὲ πρὸς θεὸν δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι) προσιμέν τε αὐτῷ καὶ οἰκειούμεθα. *recuperata noſtra natura, & ad DEI ſimilitudinem,* per pœnitentiam ſc. de qua ante locutus fuerat, *ſimplicius contendentes (ea verò Dei ſimilitudo eſt. Sapientia duce fieri juſtum & ſanctum) DEUM accedimus, & in eo conjugimur.* Suam denique commentationem concluſurus (s) repetit, ὅτι πᾶσα ἡ τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς τελειότης, εἰς τὴν πρὸς θεὸν ἐπιστροφήν, καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν σύνταξιν ἀποκορυφοῦται, *quod omnis animi humani perfectio converſione ad DEUM, ejusq; conjunctione abſolvatur & conſummetur.* §. 8. Ex

(r) Com. in Enchir. Epict. c. 32. p. 156.

(s) l. c. p. 249.

(s) p. 331. add. p. 252.

§. 8. Ex *Iudæis*, *Philo* eandem professus Philosophiam, τέλος εὐδαιμονίας τὴν πρὸς Θεὸν ἐξομοίωσιν, *finem felicitatis DEO similem reddi dicit* (t) Alibi (u) hæc habet: τί δ' ἂν εἴη κρεῖττον ἀγαθὸν ἢ μιμεῖσθαι θεὸν γεννητοῖς τὸν ἀΐδιον, *quid fieri potest melius, quam si creatura imitetur Deum immortalem & ingenitum*; qui proximè antecedentibus verbis, in quo ratio hujus assimilationis consisteret, ita descripserat: ἀληθὲς ὄντως ὅτι [illegible] ἔσιν ἄνθρωποι θεῷ δρῶντες, ἢ χαριζόμενοι. *verum est nunquam homines propius ad DEI similitudinem accedere, quam cum sunt benefici.* Virtutis studio, & sic voluntatis etiam sanctitate, non intellectus tantum sapientia, ad istam cum DEO conformationem creaturam rationalem contendere debere insinuans; cui & hoc nomine virtus dicitur ἀρετὴ θεοειδέστατος (x).

§. 9. Similia docet Philosophia *Christianorum*. *Iustinus Martyr* (y) συγγένειαν πρὸς τὸν Θεὸν, *cognationem cum DEO* in hoc ponit, quod ἡ ψυχὴ θεία καὶ ἀθάνατός ἐστι, καὶ αὐτοῦ ἐκείνου τοῦ βασιλικοῦ νοῦ μέρος, ὡς δὲ ἐκεῖνος ὁρᾷ τὸν Θεὸν, οὕτω καὶ ἡμῖν ἐφικτὸν τῷ ἡμετέρῳ νῷ συλλαβεῖν τὸ Θεῖον καὶ τοὐντεῦθεν ἤδη εὐδαιμονεῖν, *anima divina & immortalis est, & illius imperantis mentis particula; atq; ut illa DEUM videt, sic & nobis permissum est mente nostra divinitatem complecti & exinde jam nunc beatis esse.* Stoica ferè secutus principia, quæ primo audiverat (z) quibus ratio nostra *pars divini spiritus in nobis inclusa* dicebatur.

(t) De Decalo. f. 582.

(u) de Iudic. f. 557.

(x) quod omnis Prob. liber. f. 686.

(y) Dial. cum Tryphon. f. 171.

(z) ib. f. 168.

§. 10. *Clemens Alexandrinus*, quo judicio *Hieronym. nemo doctior*, eandem similitudinem passim commendat, & in quo consistat, docet.

(a) Opp. f. 55.

Ad Gentes ita scribit: (*a*) θεοσέβεια δὲ, ἐξομοιοῦσα τῷ Θεῷ, κατὰ τὸ δυνατὸν, τὸν ἄνθρωπον, κατάλληλον ἐπιγράφεται διδάσκαλον Θεὸν, τὸν καὶ μόνον ἀπεικάσαι κατ' ἀξίαν δυνάμενον ἄνθρωπον Θεῷ, *pietas quæ hominem, quoad ejus fieri potest, DEO aßimilat, convenientem sibi magistrum adscribit, nempe DEVM, qui vel solus potest pro dignitate hominem DEO aßimilare.*

(b) 2. Strom. f. 402.

alibi (*b*) sic loquitur: οὗτός ἐστιν ὁ κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν ὁ γνωστικὸς, ὁ μιμούμενος τὸν Θεὸν καθ' ὅσον οἷόν τε, μηδὲν παραλιπὼν τῶν εἰς τὴν ἐνδεχομένην ὁμοίωσιν, ἐγκρατευόμενος, ὑπομένων, δικαίως βιοὺς, βασιλεύων τῶν παθῶν, μεταδιδοὺς ὧν ἔχει, ὡς οἷός τέ ἐστιν εὐεργετῶν καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ, *hic est qui ad imaginem & similitudinem est cognoscendi potestate præditus, qui DEVM imitatur quoad ejus fieri potest, nihil prætermittens eorum, quæ faciunt ad eam quæ contingere potest similitudinem, continens, sustinens, justè vivens, imperans animi perturbationibus, ea quæ habet impertiens, pro viribus benefaciens & verbo & opere.*

(c) l. 6. Strom. f. 645.

& rursus (*c*): καὶ ὅτῳ δὴ ἡ ἐπίτασις τῆς δικαιοσύνης εἰς ἀγαθοποιΐαν ἐπιδέδωκεν, τούτῳ ἡ τελείωσις ἐν ἀμεταβόλῳ ἕξει εὐποιΐας καθ' ὁμοίωσιν τοῦ Θεοῦ διαμένει, *cui justitiæ augmentum crevit ad beneficentiam, ei perfectio permanet in immutabili habitu beneficentiæ ad DEI similitudinem.*

(d) vid. 2. Strō. f. 405.

quæ & aliis in locis (*d*) repetit.

§. 11. Gre-

§. II. *Gregor. Nazianz.*(*d*) quoq; à confor- (d)
matione hac petit rationem, quare homine Orat. 39. f.627.
vitia indigna sint: τοῦτο, inquit, δεινὸν τὸ πεποιη-
μένους ἐπ' ἀγαθοῖς ἔργοις, εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον τοῦ πε-
ποιηκότος, καὶ Θεοῦ μίμησιν, ὅσον ἐφικτὸν, ὁρμητήριον
γενέσθαι παντοίων παθῶν βοσκομένων κακῶς, καὶ δαπα-
νώντων τὸν ἐντὸς ἄνθρωπον, *grave hoc & indignũ est,
quod cum propter bona opera, h.e. ad opificis lau-
dem & gloriam, Deiq; quantum fas est, imitatio-
nem creati essemus, omnis generis vitiorum, in-
testinum hominem miserè depascentium atq; con-
sumentium sedes & propugnaculum facti sumus.*
Jungimus huic Cyrensis Episcopi *Theodoreti*
(*e*) Philosophiam, quæ de hoc argumento (e)
eximia sane est: χρὴ οὐ μόνον εἰδέναι τί προσήκει t.IV. Opp.
περὶ τοῦ Θεοῦ δοξάζειν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τοὺς ἐκείνου πο- f.662.
λιτεύεσθαι νόμους, *oportet non solum scire quid de
DEO sentiendum sit, verum etiam ad illius leges
vitam moresq; instituere.* mox pergit: *Qui enim
sic animã componit atq; informat,* οὐ μόνον τῶν θείων
νόμων τοὺς χαρακτῆρας ἐκμάττεται, ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ γε
τοῦ νομοθέτου ζῶσά τις εἰκὼν καὶ λογικὴ γίγνεται,
*non solum divinarum legum exprimit characte-
res, sed ipsius quoq; legislatoris viva quadam i-
mago, & rationalis efficitur.* Denique in quo
divina imitatio consistat sic exprimit: μι-
μεῖται δὲ, ὡς ἔνεστι, τὸν τῶν ὅλων Θεὸν, ὁ ποθῶν ἐκεῖνα
καὶ ἐχθραίνων ὁμοίως, ἅπερ καὶ αὐτὸς ὁ δεσπότης ἐχ-
θραίνει τε καὶ φιλεῖ, *imitatur autem, quantum
licet, universorum DEVM is qui ea diligit, odioq;
pariter prosequitur, quæ Dominus ipse diligit &*
odio

odio habet. quæ in sequentibus ex scripturis prolixius explicat.

§. 12. Consentiunt itaque Judæi, Gentiles & Christiani, finem hunc esse hominis, ut DEO assimiletur, id quod fit, si, quemadmodum lex naturæ, prout ea adhuc in nobis superest, & pertinet ad rudera resplendescentis in anima nostra sanctitatis divinę, jubet, sanctam quoq; & justam agimus vitam. Cumque secundum legem naturæ viventes DEO conformes reddamur, prout nimirum nostra imbecillitas & capacitas permittit, ipsam quoq; legem naturæ divinæ sanctitati conformem esse necesse est. Ex quo jam sequitur, quod quemadmodum divina sanctitas, seu attributum essentiale, se antecedenter habet, secundum nostrum concipiendi modum, ad divinam voluntatem, ita ea quæ in nobis ad istam expressa sunt, quoad *veritatem* suam etiam antecedenter divinam voluntatem respiciant. Constat præterea & hoc, honestatem & turpitudinem esse quid verè & immutabiliter tale, nec quoad *veritatem* suam à libera impositione dependere, prout *Vasquio* quidē, aliisq; visum fuit, cum divina rectitudo, cujus in nobis resplendescentis radii supersunt, verè talis non in opinione, sed in ipsius natura immutabili fundetur; ut proinde id quod sanctum, honestum, justum, bonumq; audit, verè quoque tale, imò æquè verè tale sit

le sit, atque naturalia verè id sunt, quod esse perhibentur, ejusque in DEO quoque esse dicatur idea æquè immutabilis, necessaria, æterna, atque essentiæ rerum naturalium sunt æternæ.

§. 13. Primum in quovis genere dicitur alias esse mensura reliquorum, quare si hominem rectè vivere oportet, decebit eum utique vivere secundum divinam rectitudinem, docebitque item jus naturæ illam cum DEO conformationem, quæ sit ad normam divinæ sanctitatis constituta, unde etiam Deus, quod nobis *Christianis* innotuit, hominem rectum & integrum conditurus, qualitates divinam sanctitatem & justitiam repræsentantes ei concreavit. Cumque homini, ceu animali divino, vivenda foret vita partim spiritualis & divina cum DEO, partim rationalis & socialis cum hominibus; *primum* enim secundum *Lactant.* (f) *officium justitiæ est conjungi cum* DEO, *secundum cum homine,* utroq; autem modo ut esset pro creaturæ ratione DEO similis, creatoremq; suum imitaretur, ad utramque vitam erat perficiendus, naturali hominis perfectione ad utramque vitam qualitates requirente. Quanquam verò hę qualitates ob illam, qua DEO hominem similem reddebant, conformationem, imaginis divinæ nomine apud Christianos etiam non malè, sed piè celebrentur, negari tamen nequit, quod si *phrasi*

(f) 6. Instit. 10.

phrasi scripturæ, quid imaginis hujus notione veniat, exprimere velimus, in talibus ea *propriè* constitui nequeat, quæ etiam in hominis non renati animam cadunt (*g*); ut proinde non in posteriori hac, quæ vitam hominum rationalem & socialem concernit, sed in priori illa conformatione, qua spiritualiter homo reddebatur DEO similis, imago DEI *stylo biblico* ponenda sit.

(*g*) Gerh. de Imag. §. 34.

§. 14. Quando itaque partim ad exprimendam *veritatem* Juris naturalis, partim *ad quid jus hoc nos ducat*, ut significemus, de conformatione quadam creaturæ rationalis cum creatore suo loqui solemus, non ea intelligi debet similitudo, quæ imaginis divinæ per lapsum amissæ reparationem infert, seu quæ non nisi per renovationem fieri potest, nec hujus est loci; sed de assimilatione quadam externa, ad exemplar divinum, divinaque attributa instituenda, quibus conforme esse debet, quod est juris naturalis, sermo est. Cumque scintillulæ hæ, lumen boni semenque recti constituentes, quæ sub legis naturalis nomine veniunt, etsi ad salutem animæ insufficientes sint, nec ad spiritualem istam perfectionem de qua sublimior Christianorum sapientia ex sola divina novit relatione, pertineant, ad morum tamen directionem, hominis etiam, vitæque socialis & externæ disciplinæ conservationem, Deumque colendum faciant

faciant, neque dubitari neque negari potest, radios illas divinæ sanctitatis & rectitudinis in nobis resplendescentis esse, prout nimirum hæc ad vitam sanctè inter homines transigendam ducit. Rectè enim docet *Aristotel.* (*i*) nos hanc vitam non benè beateque posse vivere, nisi *virtute*; cuius exemplar cum sit in DEO, sicut *Platonem* & *Senecam* supra confessos esse vidimus; & in divina sanctitate, ita ut secundum illud *Diogen.* (*k*) οἱ ἀγαθοὶ ἄνδρες sint, τῶν Θεῶν εἰκόνες; manifestum hinc est, legem naturæ cum ad virtutem, quæ *Ciceronis* (*l*) judicio *hominem Deo jungit*, & Dei quędam imitatio est, ducat, eandéq; urgeat & præcipiat, scintillulas divinæ in nobis radiantis sanctitatis esse, cum & inter homines, & cum hominibus piè sanctèque vivere deceat.

(*i*) 1. Eth. c. 7.

(*k*) Laërt. Diogen. l. 6.

(*l*) 2. qq. Academ.

§. 15. Ex his jam cognoscitur, quis *Finis legis naturalis* dici debeat, εὐδαιμονία sc. seu εὐπραξία aut εὐζωΐα, ut passim *Aristoteli* (*m*) appellatur; quo minus enim appellationes has retineamus nil impedit. Absolvitur verò hæc felicitas *exercitio honesti*, quo voluntas humana redditur conformis divinæ voluntati, quatenus per leges naturales in nobis hæc est expressa; estq; reipsa illa *creaturæ rationalis cum creatore sanctissimo conformatio, & cum Deo assimilatio*, in qua Gentiles & Christianos hominis felicitatē *internā* sc. ponere vidimus. Nec excluditur, sed continetur potius in fe-

(*m*) 1. Eth. 4. 8. 9

 licitate

tate hominis ita expressa, & fine ejusdem ultimo sic definito, *gloria* DEI, quam sicut ipsum Numen μαρζειον intendit, ita hoc i-
(n) pso qui idem facit assimilatur homo DEO.
Epist. 74. De re ipsa alias non malè *Seneca* (n): *Summus finis vel summum bonum est, quod honestum est, & quod magis admirere, solum bonum est, quod hone-*
(o) Psalm. 1. v. 1. *stum est.* Non malè etiam huc accomodaveris illud *Psalti* (o), qui beatos prædicat illos qui
(p) secundum *legem* DEI, cujus pars est lex na-
Rom. 2. 15. turæ (p), vivunt. Nec veteres tantum ita docuerunt, sed & recentiores nobiscum
(q) sentiunt, ex quibus celeberrimum *Rachelium*
de I. N. & G. p. 121. (q) nominasse sufficiet. *Robert. Sharrock* (r) ad-
(r) junctum potius, quam subjectum exprimit,
de Offic. sec. Ius Nat. quando officiorum secundum jus naturæ exhibendorum hunc in ὑποθέσεως suæ πρό-ψει conspiciendum ponit finem: ***hominem*** *sc. ut sine conscientiæ stimulis in animi tranquillitate & gaudio versetur.*

§. 16. Explicatius verò hæc εὐπραξία dicitur in se continere *divinum cultum*, φιλαυτίαν, & *socialis vitæ Salutem.* Hæc etenim absolvunt universalem illam rectitudinem
(s) & justitiam, quæque hæc explicat discipli-
Disquis. de Legg. Nat. na rectè *Iusti, jurisq; prudentia universalis* dicitur. *Richardus Cumberland.* (s) officia in *rationali Systemate*, uti loquitur, præstanda, *benevolentia* contineri docet, *quam latissimè diffusam esse dicit, officiorum nostrorum principium, mensuram, regulam, unicamq; legem: quin etiam*

eandem actionum nostrarum finem, amplissimum quod expetimus, præmium, summum deniq; hominis bonum. Quanquam verò pietatem quam homo DEO debet, non ita proprie *benevolentiam* dixeris, cum illi, quos *se servos inutiles etiamsi omnia præstiterint* vocare decet, benevolentiam domino suo exhibere non credantur, excusanda tamen videtur *Cumberlandi* formula, cum ut incongruæ *Hobbsianæ* hypothesi de *bello* totique adeò ejus Philosophiæ se opponeret, ita locutus fuerit. *Paulus* (t) Gentium doctor Cretensium Episcopum informans, hanc *εὐσέβειαν* tribus his partibus absolvi docet, præcipiens ut *σωφρόνως, δικαίως καὶ εὐσεβῶς vivamus*, quorum hoc DEO, illud alteri, istud nobis debemus. Ex quo constat primam hanc esse *Philosophi practici* curam, ut cum de cultu divino & pietate etiam principia sint innata, de pietate quoque & officiis quæ homo DEO debet, h.e. de religione naturali, quæ utiq; practica est, etiam agat, principiaq; hæc, quæ omninò practica sunt, explicet: quod etiam Dn. *Alberti* (u) & Dn. *Schiltero* (x) probari video. Philautia etiam qua rectè se habet, non qua notat perversum sui amorem, sicut hominem sibi ipsi commendat; ita ut me ipsum primo amem, certaque mihi debeam officia citra respectum ad alium; sic felix esse non potest, qui à seipso dissentiens, suique non curam habens, sibi ipsi nocet. Benè *Pythag.* (y)

(t) Tit.2.12.

(u) Comp. I.N. P.II. c.1.

(x) Philos. Iur. p.42.seq.

(y) Aur.

πρῆσσε δὲ ταῦθ᾽ ἅ σε μὴ βλάψῃ,
Ea facias, quæ tibi non noceant.

Socialem denique ex ratione cum aliis qui vivit vitam, ſicut regibus obedientiam, majoribus reverentiam, minoribus comitatem, oppreſſis tutelam, dubiis conſilium, omnibus innocentiam, ut *Lipſiana* (z) huc accommodemus verba, exhibet, uti hoc faciens bonus, ita quoque beatus redditur.

(z) Cent. III. Miſcel. Ep. 97.

§. 17. Dignum verò obſervatu eſt, quomodo tres hæ *ἰυπραξίας* partes in *aſſimilatione cum DEO*, concurrant. Nimirum ſicut DEUS, etſi modo infinito & eminentiſſimo, ſeipſum, ſuam eſſentiam, ſuaque opera cognoſcit, & qua creator ſuarum creaturarum, etiam minimarum, accuratam habet notitiam, ita divina ſimilitudo infert in intellectu humano non hoc ſolum, ut ſeipſum homo norit, *aliquidq; ſentiat ſe habere divinum*, ut *Cicero* (a) loquitur, ſed & aliorum divinorum operũ, & quia creatura eſt, ſui creatoris quoque habeat, quantum ipſius finitudo & ſubjectio permittit, cognitionem. (Non aliter enim hæc aſſimilatio cum DEO intelligi & exponi debet, quá ratio creatoris & domini infiniti, ſupremique, creaturæ item ſubjectio debita, à creatore ſuo dependentia, & finitudo admittit.) Uti verò *τὸν προσερχόμενον τῷ Θεῷ δεῖ πιστεῦσαι, ὅτι ἐστι*, (b) *accedentem ad DEVM credere oportet, quod DEVS ſit*; ita *primus eſt Deorum* (DEI) *cultus*, *Deos*

(a) 1. de Legg.

(b) Ebr. 11. 6.

DEUM

(DEUM) *credere*, Gentilis scribit ad Lucil. suam *Seneca* (c). Decet enim *unumquemq; cogitare, prius se debere DEUM nosse, quam colere,* uti Gentiles monet *Minutius Felix* (d). Et hæc est illa *sapientia*, in qua *contineri* dicit *Cicero* (e) *Deorum & hominum communitatem, & societatem inter ipsos.* Bene etiam quomodo DEUM colentes ipsi conformes reddamur, & esse debeamus, idem docuit (f): *Cultus*, inquit, *Deorum est optimus, idemq; castißimus, atq; sanctißimus plenißimusq; pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente, & voce veneremur;* Unde *Cato* (g):

(c) Epist. 95.
(d) in Octav. p. m. 54.
(e) 1. Offic.
(f) 2. de Nat. Deor. P. 40.
(g) L. 1.

Si DEUS est animus nobis ut carmina dicunt,
Hic Tibi præcipuè sit pura mente colendus.

§. 18. Præterea sicut DEUS seipsum, seu bonum absolutè summum amat, & quicquid suæ beatitudini adversatur, extremo prosequitur odio; ita dum recto in seipsum homo fertur amore, animæq; & corporis, partium item huius curam gerit, declinatque ea, quantum se potest, quæ nocitura videntur, DEO redditur similis. Et sicut in supremo numine se φιλαυτία hæc exerit secundum dictamina divinæ sapientiæ, ita in homine secundum prudentiæ & rectæ rationis judicia; cum non qualiscunque hic sufficiat sui æstimatio, sed recta requiratur. Eleganter hinc *Augustin.* (h) *Integer,* inquit, *rerum æstimator est, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non est diligendum,*

(h) l. 1. de Doct. Christian. c. 26.

aut non diligat, quod est diligendum, aut amplius diligat, quod minus est diligendum, aut aeque diligat, quod vel minus, vel amplius diligendum, aut minus vel amplius, quod aequè diligendum est.

§. 19. Denique consociationem cum aliis, & quae ex hac emanant illis debita quod attinet officia, cum illa ex varia justitia, liberalitate, gratia, veracitate proficiscantur, & in ἀυλωκεία, prout haec in hominem cadere potest, fundentur, ita qui his in partibus DEUM imitatur, DEO hoc ipso conformatur, μάλιστα γὰρ ἄγαλμα θεῖον καὶ Θεῷ προσεμφερὲς, ἀνθρώπου δικαίου ψυχὴ, *imago enim valdè divina & DEO similis, est viri justi anima*, ait Clemens (i) *Alexandrin.*(i) philosophiam hanc, quomodo 9. Strom. f.708. DEO assimilemur, Deique reddamur amici, egregiè tractans. De *Pythagora* autor est (k) V.H p.m. 343. *Ælian.*(k) quod dicere solitus fuerit, δύο ταῦτα ἐκ τῶν θεῶν τοῖς ἀνθρώποις δεδόσθαι κάλλιστα, τό τε ἀληθεύειν, καὶ τὸ εὐεργετεῖν *duo haec divinitus hominibus data esse longè pulcherrima, veritatem amplecti, & aliis benefacere*, & quod adjecerit, ὅτι καὶ ἔοικε τοῖς θεῶν ἔργοις ἑκάτερον, *quod utrumq; cum Deorum operibus comparari posit.* quae & aliorum tam Christianorum, quam Gentilium, fuit Philosophia. Cumque in vita sociali etiam alius sit imperantium, alius parentium ordo, imperantes hoc ipso quia vicario DEI munere funguntur, Deiq; etiam appellantur, DEO quoque similes esse, & vivere debere, supra vidimus. Flue-

re

re autem hæc officia quæ homo homini debet ex αὐταρκείᾳ, manifestum est. Suis enim qui contentus vivit, aliis sua tribuit, nec alienis inhiat, sibi ea non adscribens, quæ DEI & proximi sunt. Hæc verò αὐτάρκεια sicut hominem DEO similem, ita quoque beatum reddit, *Aristotel.* (*l*) etiam judicio. (*l*) 1.Eth. c.7. Unde & à *Clemente Alexandrin.* (*m*) quorum l.10.c.6. *justitia* dicitur *mater*, illorum αὐτάρκεια dicitur (*m*) *Nutrix*: Hęc dicitur illi esse ἕξις ἀρκουμένη οἷς δεῖ, Pædag. l. 2. καὶ δι' αὐτῆς ποειστικὴ τῶν πρὸς τὸν μακάριον συντελούντων βίον, *habitus in quibus oportet contentus, & qui per se ea acquirit, quæ ad beatam vitam conferunt.* l.211.

§. 20. Cæterum quando de conformatione creaturæ rationalis cum Creatore suo ita philosophamur, non *exæquationem*, sed *assimilationem* tantum intendimus. Non male *Seneca* (*n*), si non Gentilem errorem, sed rem ipsam spectes, *Diis immortalibus*, inquit, (*n*) Epistol.92. *solis & virtus & beata vita contingit: nobis umbra quædam illorum bonorum, & similitudo.* Scintillulas quippe & radios tantum in nobis habemus infinitæ istius lucis, pleno sanctitatis & justitiæ jubare in DEO radiantis, interceditque insuper differentia Dominii, quod est in DEO, & subjectionis quæ est in creatura, quorum neutrum admittit, ut infinitum istum, qui in DEO est solem, sic exactè per omnia repræsentemus, quasi nobis jure, & justè omnia licerent, quæ justa sunt apud DEUM, Dominum & judicem supremum;

(n) art.4 §.4. seqq.

mum, qui sibi nec similem, nec æqualem novit, ut supra jam monuimus.(n) Sancti itaque licet esse debeamus, sicut ipse DEUS sanctus est, cogitare tamen nos decet, DEO nos subjectos, de nobis ipsis solicitos: homines quoque sociales, & labe quadam originali miserè corruptos esse, & proinde sanctitatem hanc pro conditione quidem naturæ humanæ, & illius quod eandem qua talem decet, explicandam esse, sic tamen ut id quod sic sanctum esse dicimus, referri & reduci queat ad principium aliquod, quod homini concreatum, & expressum sit ad id quod existit in DEO, h. e. ad divinam sanctitatem. v. c. Hominem adulterium committere, est contra divinam sanctitatem, quia est contra justitiam, qua suum cuique debet tribui; quod axioma juris naturalis homini inexistens, exprimit similem in DEO perfectionem. Sic ἀσελγεία eidem repugnat, quia est contra φιλαυτίαν, quæ sicut est in DEO, ita homini ad imaginem DEI formato concreata fuit. Et sic in aliis. Cumque hæc longè exactius disciplina doceat Christiana, rectè χριστιανισμὸς τῆς θείας φύσεως μίμησις *Christianismus divinæ naturæ imitatio* esse dicitur à *Nysseno*;(o) à *Basilio* (p) verò ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἀνθρώπου φύσει. In illis autē actionibus hanc consistere dicit *Nyssenus*, (q) *si ab omni vitiositate atq; malitia, quoad ejus fieri possit, simus alieni, atq; ab ejus inquinationibus, tum opere, tum sermone, tum mente vacui ac puri.*

(o) l.III.f.271.

(p) Homil.10. Hexaem.

(q) l.c.f.272.

ART. X.
De Juris Naturalis immutabilitate.

§. 1.

ITa ergo constat de origine & vera juris naturalis ratione, ejusq; principiis, restat ut quam immutabilis ejus rectitudo sit disquiramus. Hanc verò non uno modo asserimus immutabilitatem, cum non eadem impugnetur passim ratione.

§. 2 Ad hanc autem explicandam not. I, *Naturæ humanæ immutabilitas,* ita ut ex se implicet contradictionem hominem aliud, quam rationale animal esse posse. Fundatur hoc in rei veritate, qua res talis est, qualis natura sua debita esse debet, quicquid de ea judicet intellectus; ita ut, licet DEUS illud suppositum quod hominem esse voluit, aliud quam rationale animal omninò creare potuerit, si tamen condere hominem *verè* talem constituit, aliud quam rationale animal producere simpliciter nequiverit, idque ex sapientiæ suæ, cui nunquam non conformis est optima voluntas, & infinitæ omnipotentiæ, quæ se non ad ea extendit, quæ contradictionem involvunt, perfectione emmentissima. Dupliciter nimirum de homine possumus loqui, primo qua spectamus ejus *essentiam*, dein qua spectamus ejus *existentiam*. diversis intellectus

nostri actibus, hic distinctionem facientis. *Essentia* qua talis uti *vera*, ita æterna est, non *consequenter* tantum ad divinam voluntatem, hoc scil. sensu, quod *rei necessario conveniat, quia quam formam creator illi dedit, non possit non habere: & si quis diversam formam rei vellet affingere, non illam ipsam rem, sed diversam esset concepturus*, quæ *Pufendorfii* (a) est explicatio, sed & *antecedenter* etiam ad eandem, vel eadem præcisa. Id quod, salvo tamen aliorum judicio, sic videtur posse inferri: Quicquid implicat in se veram contradictioné, id non consequenter tantum ad divinam voluntatem, sed & antecedenter, imò præcisa eadem tale est: Hominem non esse animal rationale implicat in se veram contradictionem. E. Sicut enim quando de pariete albo loquor, hoc ipso involvo albedinem, ita ut contradictionem implicet, parietem album non esse album; ita quando hominem nomino, hoc ipso involvo esse animal rationale, ita ut rei quæ *vere*, veritate Metaphysica, homo est, æquè necessariò & immutabiliter conveniat & competat τὸ esse animal rationale, quam parieti albo albedo.

(a) Epist. ad Scherzer.

§. 3. *Hugo Grotius* (b) Scholasticos sequutus, disputat de jure naturali sub hypothesi, si *DEUS non detur*. Assumamus hanc: Si itaque, quod sine summo scelere dari nequit, DEUM non dari fingamus, (etsi libenter concedam esse supervacuam curiositatem

(b) Proleg. de I. B. p.

ſitatem) ulterioris illuſtrationis ergò quæri poteſt, an adhuc vera ſit immutabiliter, & neceſſaria hæc propoſitio, *homo eſt animal rationale?* Si ſic: habetur intentum. Si non: ſequetur uti mutabiliter homo eſt rationalis, ita quoque aliud quam rationale animal eſſe poſſe; quod abſurdum, cum veritas rei non admittat, ut ex quolibet fiat quodlibet. Quanquam verò veritas hæc in creaturis ſit dependens, hæc tamen dependentia non eſt modus eſſentiæ qua talis, ceu quæ in ſua ratione & veritate illam nec includit, nec excludit, ſed exiſtentiæ, in quantum ut exiſtat & actu ſit creatura, è ſuarum cauſarum gremio educta eſſe debet. Manet, *uti decem tria & ſeptem ſunt, etſi nihil ſit quod numeretur*, uti *Auguſtinus* (c) docet, ita hominem eſſe animal rationale, etſi nullus detur: imò ſicut tria & ſeptem ſunt decem, ſi cum *Grotio & Scholaſticis* DEUM non dari fingas, ita ſub eadem hypotheſi verum erit, hominem eſſe animal rationale. Quare ſi quis jam ex per ſe *ſuperflua* quidem, ulterioris tamen explicationis & illuſtrationis E. non planè inutili *curioſitate, quærat: quid ſi DEUS creaſſet animal: forma externa hominem, qualis nunc eſt, referens, quod & ipſum tantiſper hominem vocabimus, ſed ut idem non foret rationale ac ſociale?* ei non ſolum reſpondemus, *iſtud animal non futurum verum hominem, qui animal ſociabile eſt, ſed aliud ferum & horridum* ani-

(c) l. 2. de Lib. Arb. c. 8.

animal, non obstante externa figura inter bruta referendum, uti respondet, & hactenus quidem rectè doctiss. *Pufendorf.*(d) sed addimus ulterius: hoc non solum ita fore ex libera DEI Creatoris liberrimi destinatione, qua hominem animal rationale esse voluit, sed & præcisa divina divina voluntate, imò antecedenter ad eandem, citra ullam tamen, quæ inde oriatur in DEO, imperfectionem, sicut nullum in DEO importat defectum, quando antecedenter ad divinum beneplacitum *triangulum* tribus angulis constare, vel *tria & septem decem* esse dicitur.

(d) loc. cit.

§. 4. Aliter de *existentia rei* loqui debemus; hæc divinæ voluntati subjicienda est. Divino quippe beneplacito suppositū quod homo est debet, quod socialem sortitus sit naturam, cum ei qua creabili adhuc præcise, & secundum modum nostrum concipiendi antecedenter ad creationis decretum spectato, aliam creator tribuere potuerit essentiam; ast si huic humanam concedere naturam decrevit, non aliam ei dare & decernere potuit, quam rationalem. Verum est, quod uti Dn. *Pufendorfius* (e) infert, *socialem naturam homo sortitus sit, non ex immutabili quapiam necessitate, sed ex beneplacito divino*; ast sicut non *primo* ex divino beneplacito triangulum tribus constat angulis, vel tria & septem sunt decem, etsi quod hæc ita sint Deus probet, & ut ita sint etiam liberè, si ipsum

(e) De I.N.G. l.1.c.2.§.6.

spectes

spectes actum, decernat, quanquam ob voluntatis, quæ divinæ sapientiæ semper est conformis, perfectionem aliter decernere non possit, sed ante omne divinum beneplacitum immutabiliter ita se hæc habeant; ita quoque ex immutabili necessitate illa res, quæ futura est *verè* homo, fieri & esse debet animal rationale. Nec DEUS creaturus homines propterea ideam aliquam extra se positam intueri debet, cum ei sapientia perfectissima & infinita, istam rei veritatem sufficientissimè, eminentissime & perfectissimè in intellectu repræsentet. Sicut supra (*f*) prolixius hæc sunt disputata.

§. 5. Paucis ergò: Ut Tu sis homo, & animal rationale, necessarium est necessitate hypothetica, si sc. Te hominem DEUS condere decrevit, cum brutum te condere potuisset; at quod homo qua homo animal rationale sit, id necessarium est necessitate simplici, cum hominem qua talem non esse animal rationale implicet contradictionē. Quid verò hæc immutabilitas ad immutabilitatem J.N. conferat, & quomodo hæc in illa fundetur, infra disquiretur.

(*f*) art. 3. n. 4. seqq.

§. 6. II. An & quomodo *Moralitas* sit immutabilis considerandum. Principia moralitatis quæ sint, & quomodo ex certorum requisitorum, quæ valorem quendam addandum esse morale completum in se continent, concursu & conjunctione in actu illa con-

la consurgat, supra vidimus. Sicut verò moralia alia sunt naturalia, alia verò sic se habent ex institutione, ex mero imponentis beneplacito, ita non hæc, sed illa immutabilia esse probabimus: ubi tamen rursus observandum, quod aliud sit morale esse mutabile, aliud separabile ab objecto; res quæ est aliena, non potest invito domino ab alio animo retinendi contrectari, at sicut τὸ esse alienum separari potest ab objecto, ita quoque quod cum illo conjunctum est esse morale.

§. 7. *Moralitas* quam *naturaliter* talem esse dicimus, sicut consurgit ex concursu ejusmodi requisitorum, illorumque in actu connexione seu unione, quæ sine superioris impositione vim quandam moralem in se continent, ita quæ hinc exoritur moralitas, uti talis redditur per se & necessariò, ita hoc ipso immutabiliter; Morale enim quod tale intrinsecè est, aliter se habere nescit. Et cum idem suam quoque veritatem habeat, in quantum non est fictum quid, & citra intellectus actum in orbe non dari, dici non debet, sed suis certis, necessariis, & ante omnem voluntatem superioris determinatis gaudet principiis, ita ut illis positis, & cum motu physico unitis, in actu non exoriri moralitatem contradictionem implicet, ut proin hęc non possit non in eodem consurgere, imutabiliter hanc se habere manifestum

nifestum est, cum non ex quibusvis, sed certis tantum, per se sibi congruis & convenientibus requisitis constituatur, sicuti certa tantum & determinata essentialia certam quoque & determinatam essentiam, hominis v.c. constituere possunt, cum hactenus eadem sit ratio. Et quod sic morale est, semper tale & necessariò manet, & quà tale, & talibus nititur principiis, non potest reddi non morale.

§. 8. Cæterum sicut immutabilitas hæc τὸ MORALIS interna, absoluta, & necessaria necessitate consequentis dici potest, ita alia datur immutabilitas, externa, hypothetica, necessaria necessitate consequentiæ, quæ priorem per se nec tollit, nec ab illa tollitur. Fluit autem hæc immutabilitas moralitatis, quæ in actu humano haud raro datur, ex immutabilitate naturæ humanæ. Cum enim homo im̃utabiliter & per essentiam sit agens rationale & sociale, & sic quoque morale, non possunt non certi actus ei hoc nomine uti congrui ita quoque morales dici; nequit etiam non ille actus moralis esse, qui cum liberè proficiscatur ab agente singulas actionis circumstantias cognoscente, in rationem moralem objectivam fertur, & cum illa conjungitur. v.c. actus brutorum omni valore morali per se carent, certi tamen actus sunt, qui si ab homine exoriuntur, ex conditione humanæ naturę ita se habent, ut

sint

sint morales, & hoc æquè immutabiliter, atque ipsa humana natura est immutabilis. Leo dilaniat hominem, dilaniat eundem homo, ibi sine effectu morali, non idem hic, idque ex conditione agentis: hoc enim cum agat ex προαιρέσει & libere, hoc ipso valorem istum consequitur ille actus, quo quando à bruto proficiscitur, penitus destituitur.

§. 9. Nec quando hoc ita contingit, τὸ morale mutatum esse in non morale dici debet, sed mutatio facta est circa objectum, in quo cum moralitas non surgat, ut ita loquar, nec se exerat, vel actuetur, nisi respiciat rationem practicè rem cognoscentem, patet hinc objectum, hominem, in respectu ad alium hominem ex προαιρέσει cædem committentem, fuisse morale, non item in ordine ad feram, ex naturali impetu & genio ferocientem.

§. 10. Ejusmodi mutationes adhuc aliæ objecto morali accidere possunt. Ratio quippe objectiva, ex qua, cæteris quoque principiis positis, τὸ morale in actu consurgit, haud raro mutationem admittit, qua facta, sicut objectum non idem manet, quod erat ante, quoad rationem illam sub qua actum respexerat, ita desinit quoque idem esse morale, sub quo ante fuerat, nec potest, in actu consurgere illa moralitas, quæ ex priori ratione objectiva manente, in eodem exorta fuisset. v.c. Bonum depositum est petenti

enti reddendum quidem; sed hæc ratio objectiva non immutabiliter, vel inseparabiliter rei inest, cum ratio boni depositi abesse, & ex re deposita propria depositarii fieri possit, quo facto, sicut mutatur objectum, ita subtrahitur moralitati, sub qua actum respiceret, si priori ratione objectiva, depositi scilicet adhuc gauderet, manente interim in se hac moralitate, quod depositum per se deponenti restitui debeat.

§. 11. Præterea cum & circumstantiæ quæ ad dandum esse morale in actu concurrunt varient, diversamque rei induant faciem, ita subtrahunt eandem moralitati, sub qua sub aliis circumstantiis alias esset futura. Habent nimirum & circumstantiæ suum ordinem, suos dignitatis moralis gradus, ut altera cedere debeat alteri, hujusque vis & valor moralis vim alterius quiescere jubeat, id quando fit, non moralitas, quæ his positis requisitis alias oritur, mutatur, sed ob alias potiores, digniores, majoresque circumstantias, objectum, & consequenter actus ei subtractus dici debet. Unde licet domino depositum restituendum sit, si tamen magistratus prohibet, non debet restitui. Quid hic dices? num prior moralitas mutata est, nec debet depositum petenti reddi? Minime, sed objectum, res sc. deposita non amplius sub tali ratione morali, & in tali existit statu, ut domino suo repetenti reddi debeat: nam cum

aut non diligat, quod est diligendum, aut amplius diligat, quod minus est diligendum, aut æque diligat, quod vel minus, vel amplius diligendum, aut minus vel amplius, quod æquè diligendum est.

§. 19. Denique consociationem cum aliis, & quæ ex hac emanant illis debita quod attinet officia, cum illa ex varia justitia, liberalitate, gratia, veracitate proficiscantur, & in *ἀυταρκεία*, prout hæc in hominem cadere potest, fundentur, ita qui his in partibus DEUM imitatur, DEO hoc ipso conformatur. *μάλιστα γὰρ ἄγαλμα θεῖον καὶ Θεῷ προσεμφερὲς, ἀνθρώπου δικαίου ψυχή, imago enim valdè divina & DEO similis, est viri justi anima*, ait *Clemens Alexandrin.*(i) philosophiam hanc, quomodo DEO assimilemur, Deique reddamur amici, egregiè tractans. De *Pythagora* autor est *Ælian.*(k) quod dicere solitus fuerit, *δύο ταῦτα ἐκ τῶν θεῶν τοῖς ἀνθρώποις δεδόσθαι κάλλιστα, τό τε ἀληθεύειν, καὶ τὸ εὐεργετεῖν duo hæc divinitus hominibus data esse longè pulcherrima, veritatem amplecti, & aliis benefacere*, & quod adjecerit, *ὅτι καὶ ἔοικε τοῖς θεῶν ἔργοις ἑκάτερον, quod utrumq; cum Deorum operibus comparari possit.* quæ & aliorum tam Christianorum, quam Gentilium, fuit Philosophia. Cumque in vita sociali etiam alius sit imperantium, alius parentium ordo, imperantes hoc ipso quia vicario DEI munere funguntur, Deiq; etiam appellantur, DEO quoque similes esse, & vivere debere, supra vidimus. Flue-

(i) 7. Strom. f.708.

(k) V.H p.m. 343.

e autem hæc officia quæ homo homini de-
bet ex *αὐταρκείᾳ*, manifestum est. Suis enim
qui contentus vivit, aliis sua tribuit, nec
alienis inhiat, sibi ea non adscribens, quæ
DEI & proximi sunt. Hæc verò *αὐτάρκεια*
sicut hominem DEO similem, ita quoque (l)
beatum reddit; *Aristotel.* (l) etiam judicio. 1.Eth.c.7.
Unde & à *Clemente Alexandrin.* (m) quorum l.10.c.6.
Justitia dicitur *mater*, illorum *αὐτάρκεια* dicitur (m)
Nutrix: Hęc dicitur illi esse *ἕξις ἀρκουμένη οἷς δεῖ*, Pædag. l. 2.
ἢ δι' αὐτῆς ποιητικὴ τῶν εἰς τὸν μακάριον συντελόν- t.211.
*των βίον, habitus in quibus oportet contentus, & qui
per se ea acquirit, quæ ad beatam vitam conferunt.*

§. 20. Cæterum quando de conformatione creaturæ rationalis cum Creatore suo ita philosophamur, non *exæquationem*, sed *assimilationem* tantùm intendimus. Non male *Seneca* (n), si non Gentilem errorem, sed (n)
rem ipsam spectes, *Diis immortalibus*, inquit, Epistol.92.
solis & virtus & beata vita contingit: nobis umbra quædam illorum bonorum, & similitudo. Scintillulas quippe & radios tantum in nobis habemus infinitæ istius lucis, pleno sanctitatis & justitiæ jubare in DEO radiantis, interceditque insuper differentia Dominii, quod est in DEO, & subjectionis quæ est in creatura, quorum neutrum admittit, ut infinitum istum, qui in DEO est solem, sic exactè per omnia repræsentemus, quasi nobis jure, & justè omnia liceret, quæ justa sunt apud DEUM, Dominum & judicem supre-

 mum,

(n) art. 4. §. 4. seqq.

mum, qui sibi nec similem, nec æqualem novit, ut supra jam monuimus. (n) Sancti itaque licet esse debeamus, sicut ipse DEUS sanctus est, cogitare tamen nos decet, DEO nos subjectos, de nobis ipsis solicitos; homines quoque sociales, & labe quadam originali miserè corruptos esse, & proinde sanctitatem hanc pro conditione quidem naturæ humanæ, & illius quod eandem qua talem decet, explicandam esse, sic tamen ut id quod sic sanctum esse dicimus, referri & reduci queat ad principium aliquod, quod homini concreatum, & expressum sit ad id quod existit in DEO, h. e. ad divinam sanctitatem. v. c. Hominem adulterium committere, est contra divinam sanctitatem, quia est contra justitiam, qua suum cuique debet tribui; quod axioma juris naturalis homini inexistens, exprimit similem in DEO perfectionem. Sic αὐλοχειεία eidem repugnat, quia est contra φιλαυτίαν, quæ sicut est in DEO, ita homini ad imaginem DEI formato concreata fuit. Et sic in aliis. Cumque hæc longè exactius disciplina doceat Christiana, rectè χριστιανισμὸς τῆς θείας φύσεως μίμησις *Christianismus divinæ naturæ imitatio* esse dicitur à *Nysseno*; (o) à *Basilio* (p) verò ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἀνθρώπου φύσει. In illis auté actionibus hanc consistere dicit *Nyssenus*, (q) *si ab omni vitiositate atq; malitia, quoad ejus fieri possit, summe alieni, atq; ab ejus inquinationibus, tum opere, tum sermone, tum mente vacui ac puri.*

(o) l. III. f. 271.

(p) Homil. 10. Hexaem.

(q) l. c. f. 272.

ART. X.

De Juris Naturalis immutabilitate.

§. 1.

ITa ergo constat de origine & vera juris naturalis ratione, ejusq; principiis, restat ut quam immutabilis ejus rectitudo sit disquiramus? Hanc verò non uno modo asserimus immutabilitatem, cum non eadem impugnetur passim ratione.

§. 2 Ad hanc autem explicandam not. I. *Naturæ humanæ immutabilitas*, ita ut ex se implicet contradictionem hominem aliud, quam rationale animal esse posse. Fundatur hoc in rei veritate, qua res talis est, qualis natura sua debita esse debet, quicquid de ea judicet intellectus; ita ut, licet DEUS illud suppositum quod hominem esse voluit, aliud quam rationale animal omninò creare potuerit, si tamen condere hominem *verè* talem constituit, aliud quam rationale animal producere simpliciter nequiverit, idque ex sapientiæ suæ, cui nunquam non conformis est optima voluntas, & infinitæ omnipotentiæ, quæ se non ad ea extendit, quæ contradictionem involvunt, perfectione eminentissima. Dupliciter nimirum de homine possumus loqui, primo qua spectamus ejus *essentiam*, dein qua spectamus ejus *existentiam*, diversis intellectus

nostri actibus, hic distinctionem facientis. *Essentia* qua talis uti *vera*, ita æterna est, non *consequenter* tantum ad divinam voluntatem, hoc scil. sensu, quod *rei necessario conveniat, quia quam formam creator illi dedit, non possit non habere: & si quis diversam formam rei vellet affingere, non illam ipsam rem, sed diversam esset conscepturus*, quæ *Pufendorfii* (*a*) est explicatio, sed & *antecedenter* etiam ad eandem, vel eadem præcisa. Id quod, salvo tamen aliorum judicio, sic videtur posse inferri: Quicquid implicat in se veram contradictioné, id non consequenter tantum ad divinam voluntatem, sed & antecedenter, imò præcisa eadem tale est; Hominem non esse animal rationale implicat in se veram contradictionem. E. Sicut enim quando de pariete albo loquor, hoc ipso involvo albedinem, ita ut contradictionem implicet, parietem album non esse album; ita quando hominem nomino, hoc ipso involvo esse animal rationale, ita ut rei quæ *vere*, veritate Metaphysica, homo est, æquè necessariò & immutabiliter conveniat & competat τὸ esse animal rationale, quam parieti albo albedo.

(*a*) Epist. ad Scheizer.

§. 3. *Hugo Grotius* (*b*) Scholasticos sequutus, disputat de jure naturali sub hypothesi, si *DEUS non detur.* Assumamus hanc: Si itaque, quod sine summo scelere dari nequit, DEUM non dari fingamus, (etsi libenter concedam esse supervacuam curiositatem

(*b*) Proleg. de J.B. p.

sitatem) ulterioris illustrationis ergò quæri potest, an adhuc vera sit immutabiliter, & necessaria hæc propositio, *homo est animal rationale?* Si sic: habetur intentum. Si non: sequetur uti mutabiliter homo est rationalis, ita quoque aliud quam rationale animal esse posse; quod absurdum, cùm veritas rei non admittat, ut ex quolibet fiat quodlibet. Quanquam verò veritas hæc in creaturis sit dependens, hæc tamen dependentia non est modus essentiæ qua talis, ceu quæ in sua ratione & veritate illam nec includit, nec excludit, sed existentiæ, in quantum ut existat & actu sit creatura, è suarum causarum gremio educta esse debet. Manet, *uti decem tria & septem sunt, etsi nihil sit quod numeretur*, uti *Augustinus* (c) docet, ita hominem esse animal rationale, etsi nullus detur: imò sicut tria & septem sunt decem, si cum *Grotio & Scholasticis* DEUM non dari fingas, ita sub eadem hypothesi verum erit, hominem esse animal rationale. Quare si quis jam ex per se *superflua* quidem, ulterioris tamen explicationis & illustrationis E. non planè inutili *curiositate, quærat: quid si DEUS creasset animal forma externa hominem, qualis nunc est, referens, quod & ipsum tantisper hominem vocabimus, sed ut idem non foret rationale ac sociale?* ei non solum respondemus, *istud animal non futurum verum hominem, qui animal sociabile est, sed aliud ferum & horridum* ani-

(c) l. 2. de Lib. Arb. c. 8.

animal, non obstante externa figura inter bruta referendum, uti respondet, & hactenus quidem rectè doctiss. *Pufendorf.*(d) sed addimus ulterius: hoc non solum ita fore ex libera DEI Creatoris liberrimi destinatione, qua hominem animal rationale esse voluit, sed & præcisa divina divina voluntate, imò antecedenter ad eandem, citra ullam tamen, quæ inde oriatur in DEO, imperfectionem, sicut nullum in DEO importat defectum, quando antecedenter ad divinum beneplacitum *triangulum* tribus angulis constare, vel *tria & septem decem* esse dicitur.

(d) loc. cit.

§. 4. Aliter de *existentia rei* loqui debemus; hæc divinæ voluntati subjicienda est, Divino quippe beneplacito suppositū quod homo est debet, quod socialem sortitus sit naturam, cum ei qua creabili adhuc præcise, & secundum modum nostrum concipiendi antecedenter ad creationis decretum spectato, aliam creator tribuere potuerit essentiam; ast si huic humanam concedere naturam decrevit, non aliam ei dare & decernere potuit, quam rationalem. Verum est, quod uti Dn. *Pufendorfius* (e) infert, *socialem naturam homo sortitus sit, non ex immutabili quapiam necessitate, sed ex beneplacito divino*; ast sicut non *primo* ex divino beneplacito triangulum tribus constat angulis, vel tria & septem sunt decem, etsi quod hæc ita sint Deus probet, & ut ita sint etiam liberè, si ipsum spectes

(e) De I.N.G. l.1.c.2.§.6.

ſpectes actum, decernat, quanquam ob voluntatis, quæ divinæ ſapientiæ ſemper eſt conformis, perfectionem aliter decernere non poſſit, ſed ante omne divinum beneplacitum immutabiliter ita ſe hæc habeant; ita quoque ex immutabili neceſſitate illa res, quæ futura eſt *verè* homo, fieri & eſſe debet animal rationale. Nec DEUS creaturus homines propterea ideam aliquam extra ſe poſitam intueri debet, cum ei ſapientia perfectiſſima & infinita, iſtam rei veritatem ſufficientiſſimè, eminentiſſime & perfectiſſimè in intellectu repræſentet. Sicut ſupra (f) prolixius hæc ſunt diſputata.

§. 5. Paucis ergò: Ut Tu ſis homo, & animal rationale, neceſſarium eſt neceſſitate hypothetica, ſi ſc. Te hominem DEUS condere decrevit, cum brutum te condere potuiſſet; at quod homo qua homo animal rationale ſit, id neceſſarium eſt neceſſitate ſimplici, cum hominem qua talem non eſſe animal rationale implicet contradictionē. Quid verò hæc immutabilitas ad immutabilitatem J.N. conferat, & quomodo hæc in illa fundetur, infra diſquiretur.

(f) art. 3. n. 4. ſeqq.

§. 6. II. An & quomodo *Moralitas* ſit immutabilis conſiderandum. Principia moralitatis quæ ſint, & quomodo ex certorum requiſitorum, quæ valorem quendam ad dandum eſſe morale completum in ſe continent, concurſu & conjunctione in actu illa con-

la consurgat, supra vidimus. Sicut verò moralia alia sunt naturalia, alia verò sic se habent ex institutione, ex mero imponentis beneplacito, ita non hæc, sed illa immutabilia esse probabimus: ubi tamen rursus observandum, quod aliud sit morale esse mutabile, aliud separabile ab objecto; res quæ est aliena, non potest invito domino ab alio animo retinendi contrectari, at sicut τὸ esse alienum separari potest ab objecto, ita quoque quod cum illo conjunctum est esse morale.

§. 7. *Moralitas* quam *naturaliter* talem esse dicimus, sicut consurgit ex concursu ejusmodi requisitorum, illorumque in actu connexione seu unione, quæ sine superioris impositione vim quandam moralem in se continent, ita quæ hinc exoritur moralitas, uti talis redditur per se & necessariò, ita hoc ipso immutabiliter; Morale enim quod tale intrinsecè est, aliter se habere nescit. Et cum idem suam quoque veritatem habeat, in quantum non est fictum quid, & citra intellectus actum in orbe non dari, dici non debet, sed suis certis, necessariis, & ante omnem voluntatem superioris determinatis gaudet principiis, ita ut illis positis, & cum motu physico unitis, in actu non exoriri moralitatem contradictionem implicet, ut proin hæc non possit non in eodem consurgere, immutabiliter hanc se habere manifestum

nifestum est, cum non ex quibusvis, sed certis tantum, per se sibi congruis & convenientibus requisitis constituatur, sicuti certa tantum & determinata essentialia certam quoque & determinatam essentiam, hominis v.c. constituere possunt, cum hactenus eadem sit ratio. Et quod sic morale est, semper tale & necessariò manet, & quà tale, & talibus nititur principiis, non potest reddi non morale.

§. 8. Cæterum sicut immutabilitas hæc τῆ MORALIS interna, absoluta, & necessaria necessitate consequentis dici potest, ità alia datur immutabilitas, externa, hypothetica, necessaria necessitate censequentiæ, quæ priorem per se nec tollit, nec ab illa tollitur. Fluit autem hæc immutabilitas moralitatis, quæ in actu humano haud raro datur, ex immutabilitate naturæ humanæ. Cum enim homo imutabiliter & per essentiam sit agens rationale & sociale, & sic quoque morale, non possunt non certi actus ei hoc nomine uti congrui ita quoque morales dici; nequit etiam non ille actus moralis esse, qui cum liberè proficiscatur ab agente singulas actionis circumstantias cognoscente, in rationem moralem objectivam fertur, & cum illa conjungitur. v.c. actus brutorum omni valore morali per se carent, certi tamen actus sunt, qui si ab homine exoriuntur, ex conditione humanæ naturę ita se habent, ut

sint

tenti reddendum quidem; sed hæc ratio objectiva non immutabiliter, vel inseparabiliter rei inest, cum ratio boni depositi abesse, & ex re deposita propria depositarii fieri possit, quo facto, sicut mutatur objectum, ita subtrahitur moralitati, sub qua actum respiceret, si priori ratione objectiva, depositi sc. adhuc gauderet, manente interim in se hac moralitate, quod depositum per se deponenti restitui debeat.

§. 11. Præterea cum & circumstantiæ quæ ad dandum esse morale in actu concurrunt varient, diversamque rei induant faciem, ita subtrahunt eandem moralitati, sub qua sub aliis circumstantiis alias esset futura. Habent nimirum & circumstantiæ suum ordinem, suos dignitatis moralis gradus, ut altera cedere debeat alteri, hujusque vis & valor moralis vim alterius quiescere jubeat, id quando fit, non moralitas, quæ his positis requisitis alias oritur, mutatur, sed ob alias potiores, digniores, majoresque circumstantias, objectum, & consequenter actus ei subtractus dici debet. Unde licet domino depositum restituendum sit, si tamen magistratus prohibet, non debet restitui. Quid hic dices? num prior moralitas mutata est, nec debet depositum petenti reddi? Minime, sed objectum, res sc. deposita non amplius sub tali ratione morali, & in tali existit statu, ut domino suo repetenti reddi debeat: nam cum

præceptum magiſtratus dignius, majus, potius ſit, cui voluntas ſubditi cedere tenetur, non amplius res depoſita eſt in illo ſtatu, quo repetenti depoſitori reſtituenda ſit, cum exemptam aliæ graviores circumſtantiæ in illa conditione collocarint, ut non debeat reddi. Benè hinc Cicero (g): *Quid ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddásne depoſitum: non credo, facies enim contra Rempublicam, quæ debet eſſe chariſſima.* Idem Philo (h): παρὰ νήφοντος λαβὼν παρακαταθήκην, μήτε μεθύοντι, μήτ᾽ ἀσώτῳ, μήτε μεμηνότι ἀποδῷς. ὁ γὰρ λαβὼν ὄντως ἐκ τῶ κομίσασθαι, οὐχ ἕξει καιρὸν ὠφεληθῆναι. μηδὲ χρεώσταις ἢ δούλοις ἀποδῷς, δανειστῶν καὶ δεσποτῶν ἐφεδρευόντων· προδοσία γὰρ τοῦτ᾽ ἐστὶν, οὐκ ἀπόδοσις, *depoſitum quod accepiſti à ſobrio, nec ebrio, nec prodigo, nec furenti reddideris. Nam qui ſic ſua recipit, ab eorum uſu excluditur iniquitate temporũ. neq; debitoribus aut ſervis reddendum eſt, quibus fœneratores inſidiantur & domini. Proditio enim eſt hæc, non redditio.* Sed ex dicendis hæc ulterius patebunt.

(g) 3. Offic.

(h) de Plantat. Noe. f. 177.

§. 12. Applicari namq; hæc poſſunt, quando III. quæritur, An & quomodo, quod *naturaliter bonum* vel *malum* eſt, ſit ex ſe tali mutationi obnoxium, ut præcipi jam, & rurſus prohiberi poſſit. Nimirum cum *bonum* quod naturaliter tale eſt, conſurgat ex poſitione debitorum & convenientium requiſitorum moralium, & proin non fictum quid, ſed æquè verum ſit, atque ſunt rerum eſſentiæ natura-

turales, sub iisdem circumstantiis æque immutabile quoque esse oportet, atque immutabiles sunt rerum naturæ. Nec provenit hæc mutari nescia necessitas ex positione talium conditionum qua positæ sunt præcisè, sed qua sunt per se citra omnem superioris Impositionem congruæ, & simpliciter necessariæ, ut ex illarum concursu oriatur necessario & immutabiliter bonum, sicut ex unione materiæ & formæ corpus naturale. Prior illa immutabilitas extrinseca est & conditionata, sicut conclusio ex certis præmissis legitimè illata, immutabiliter se habet, quamdiu illæ, ex quibus elicita est, positæ manent præmissæ, etsi in se mere contingens se aliter habere queat; posterior autem hæc interna est, quæ ex necessario, necessariorum item requisitorum mutuo ad se invicem immutabiliter congruo respectu & connexione, ob ꝰ *moralis* veritatem, ne fictū quid & ens rationis consurgat, oritur, in se mutari nescia, sicut materia organica & anima vegetativa, ob veritatem plantæ, ut vera nascatur planta, immutabiliter se respiciunt, & conjungi amant, cum per naturam suam vera planta sit corpus animatum vegetans. Quanquam sicut non repugnat aliquid simul esse necessarium necessitate consequentiæ & consequentis, ita quoque non repugnet aliquid dici immutabiliter bonum, imutabilitate tam hypothetica, quam absoluta.

 §.13. De

§. 13. De *malo* idem facilè dixeris. Cum enim illud oriatur vel ex defectu requisitorum debitorum, vel ex concursu circumstantiarum inconvenientium, quo ut planè in se redditur asymphonicum, ita falsum. Unde sicut quod *bonum* dicitur *in se* & naturaliter ex ratione veritatis suæ, tale est indivisibiliter & immutabiliter, ita quod malum est ex defectu conditionis per se adesse debitæ, qua sic laborat, manet immutabiliter tale, sicut quod non est rationale manet immutabiliter non homo, seu malus homo; quod verò tale ex concursu circumstantiarum moralium repugnantium, sicut à se ipso naturaliter dissonat, istaq; dissonantia perfectionem & rectitudinem debitam necessario destruit, ita in se, h.e. immutabiliter imperfectum, seu malum relinquitur. Cum enim bonum non ex quibuslibet, sed ex certis & convenientibus tantum requisitis consurgat, quod ex per se repugnantibus constat, sicut tali repugnat existere, ita nunquam potest esse bonum.

§. 14. Objectum enim, quæq; ei inest ratio moraliter æstimabilis, quæ etiam ad agens rationale & liberum relata actu in eo consurgit, ex se ita se habet haud raro, ut non possit non certus actus ei congruus esse, sic ut quemadmodum calori cum frigore nunquam amica intercedit conspiratio, ita nec moraliter bonum cum malo nunquam convenire

venire queat,& ſicut in ignem calor tantum non frigus cadit, ita quoque tali objecto certus tantum, non verò vel quivis indifferenter, vel oppoſitus actus congruus eſſe poſſit. Ita cum DEUS per eſſentiam ſuam ſit adorabilis, ex hac objectiva ratione debitus cultus imutabiliter ei conveniens, actus verò blaſphemię immutabiliter repugnans eſt. Ratio quoque qua parentes ſunt parentes quamdiu manet, tamdiu immutabiliter illis congruus eſt cultus, qui eis à liberis debetur, cum per ſe inordinatè fieret, ſi hi illis ſuam reverentiam exhibere nollent. Uxor aliena cum non ſit Tua, ad conſuetudinem conjugalem cum alio viro non eſt conveniens, quia non propria hoc facto maneret, ſed communis redderetur, nec Tu poteris cum illa conſueſcere, cum quoad hunc actum ſuo viro propria, Tibi aliena, ad Te non pertinens, & conſequenter iſte actus quoque alienæ uxori inconveniens ſit; ut proin ei planè hoc incongruè accidat ſub hac ratione, ut ab alieno viro cognoſcatur, ejusque in mariti ſui *lecto ſint veſtigia*, ut *Lucretia* apud *Livium* (*i*) hanc deſcribit injuſtitiam. (*i*) l. 1.

§. 15. Cæterum hæc ratio objectiva ſe non ſemper eodem habet modo: Nonnunquam enim rei ex propria ejus natura ſic ineſt, ut ſicut nulla circumſtantia circa objectum aliquam immutationem efficere poteſt, ita

 quoque

quoque immutabiliter eadem ratione morali afficiatur, eosdemque ceu sibi congruos immutabiliter deposcat actus; DEUS v. c. cum nullis circumstantiis ullam admittat mutationem, immutabiliter bonum est illum amare, immutabiliter contra malum odio eundem prosequi.

Idem semper erit, quoniam semper fuit idem,
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aspicient: DEUS est qui non mutatur in ævo.

canit *Manilius* (k). & proinde semper amabilis, adorabilis.

(k) 1. Astron. v. 523.

§ 16. Alibi circa objectum contingit aliqua mutatio, quod quando fit, non circa ipsam rationem boni & mali, quod tale est naturaliter, illam contigisse dici debet, sed subtrahitur, tum aliquid priori ordini morali, sub quo bonum erat, & subjicitur alicui inordinationi; vel contra subtrahitur inordinationi, & subjicitur ordini morali bono. Manet nimirum bonum & malum morale qua tale immutabiliter, si actum spectes signatum, variæ autem mutationes in actu exercito fiunt, in rebus quę bonę & malę dicuntur, pro varietate circumstantiarũ, quibus sicut objectum variè mutatur, ita actus jam redditur bonus, jam malus, cum pro diverso objecti respectu jam congruus, jam incongruus tali objecto, & ejus *rationi sub qua* sit. Causa hujus rei hæc est, quia *ratio formalis* sub qua aliquid intrinsecè bonum vel malum dici-

dicitur, per certas circumstantias ab objecto tolli haud raro potest, quo fit ut quod antea bonum vel malum fuerat, postmodum contraria se habeat ratione, quod sub iisdem circumstantiis eadem immutabiliter se habiturum fuisset ratione. Circumstantia Quis v.c. vim habet respectum objecti non uno modo immutandi; privatum enim à privato, vel alio etiam, jussum contra Dominum insurgere, vel non jussum etiam, seditionem excitare in se malum est, ceu ordini & socialitati, quam jus naturæ præcipit inimicum: at si DEUS, quanquam ne quidem qua legislator, sed qua justus judex & supremus Dominus, qui pro lubitu imperia transferre potest, punitutus ob idololatriam & impietatem Domum Achabi, Jehu à fide *Joramo* debita solutum, bellum hujus familiæ inferre jubet, scelere caret; cum fuerit divinæ justitiæ executio, Jehu à DEO, supremo utriusque & Jorami & Jehu domino, demandata. Eadem est ratio circumstantiæ Quid. Rem alienam, quam diu aliena est, animo retinendi contrectare alteri non licet, at eadem res, quando propria isti facta, aliena esse desiit, jure recipitur, invito etiam priori domino. Cum Uriæ uxor esset Bathseba, adulter erat David eam cognoscens, at eo defuncto, cum viduam in matrimonium recepisset, ex potestate quam tanquam maritus in corpus ejus habebat, ex ea suscepit liberos.

beros. Ubi verò ratio moralitatis eſt inſeparabilis ab objecto, ibi actus qui propter illam per ſe iſti objecto eſt inconveniens, conveniens aliàs eadem in illo ſublata futurus, ſemper talis manet, donec ejus vis à potiori aliqua ratione objectiva, cui hanc cedere oportet, fuerit eliſa. *Ius erat apud Perſas miſceri cum matribus*, ait *Minuc. Fel.* (*l*) ſed contra jus naturæ, & ſimpliciter nunquam permittendum, cum nulla circumſtantia efficere poſſit, quo minus mater ſit mater, vel ut potior aliqua objectiva ratio, hanc incongruentiam quam habet actus maritali jure conſueſcendi cum hoc objecto, matre ſcil. elidat, ac cedere ſibi cogat.

(*l*) Octav. p. m. 71.

§. 17. Ex quo ſatis jam conſtat quid de impietate *Iohann. de Rada.* (*m*) (nam *Vaſquium* (*n*) ſupra notavimus) habendum ſit, qui contendit, *DEUM per ſuam omnipotentem voluntatem præcepta tabulæ ſecundæ diſpenſare poſſe, ita ut efficiat, quod is, qui prius erat obligatus, per naturæ legem ad aliquid faciendum, vel vitandum, iis, aut illis conditionibus exiſtentibus, poſtea eiſdem conditionibus ſtantibus, non ſit ad id obligatus, poſſitq; actum exercere licitè, variata ſola circumſtantia prohibiti, & non prohibiti.* Nimirum cum malitia vel bonitas non proveniat à ſola circumſtantia prohibiti & non prohibiti, ſed etiam à ratione objecti, & prout hoc actui circa ſe occupato convenientibus, vel non convenientibus

(*m*) Cõtroverſ. inter Thõ. & Scot. P. III. p. 458.

(*n*) art. 8. §. 2. ſeqq.

eſt

est vestitum circumstantiis, item prout hæ quoq; ab objecto separari, vel non separari possunt, circumstantiam istam præcipientis vel prohibentis insufficientem esse, ad dandum esse bonum vel malum naturale, manifestum est. Oritur bonum morale naturale à natura objecti, & quod ei, item prout ei aliquid congruum est, & sese inde diffundit in præceptum; quod autem positivè se habet à præcepto oritur, & sese in objectum diffundit, ceu alibi disputat *Molina* (o). Cum itaq; bonum naturale ex concursu plurium requisitorum moralium convenientium resultet, & verò bonum sit, quod tale ex integra causa, & cui nihil deest eorum quæ adesse debent, insufficienter ab una circumstantia prohibiti & non prohibiti bonitatem naturalem suspendi, licitumq; in se aliquid statim fieri, manifestum est.

(o) de l. I. t. I. disp. 3. n. 2.

§. 18. Constat præterea ex his, quomodo aliquid à ratione ista formali, sub qua intrinsecè alias malum fuerat, liberari vel bonitate sua in se imutabili privari queat, salva interim imutabili τῶ boni & mali ratione; nimirum mutatio non contingit in ipsa moralitate, sed in eo, & circa illud, quod est moralitatis susceptivum, quod quando variat, sicut subtrahitur moralitati, qua ante afficiebatur, ita subtrahitur quoque vel convenientiæ vel inconvenientiæ, sub qua prius erat, aliique vel inordinationi, vel ordini morali

Z 5 conve-

convenienti, sub qua ante non fuerat, subjicitur. Nudum incedere homini integro licuisset, sed cum per lapsum homo huic morali convenientiæ sit subtractus, & in eo statu positus, quo nuditas ei est pudori, inconveniens hinc nobis moraliter facta tegi debet, jubetq; ipsa honestas jam uti veste, qua *defendi aut corpus, aut deniq; pudor possit*, ut *Seneca* (p) loquitur. Sed satis hæc discussa sunt.

(p) 7. de Benef. c. 9.

§. 19. Ulterius autem considerandum, quod, cum bonum morale *in se* tale consurgat ex concursu plurium conditionum convenientium & debitarum, malum verò ex illorum vel defectu vel inordinatione, accidere possit, ut contrariæ etiam & simul incompossibiles videantur. Jubet v. c. pater ut hoc facias, mater ut omittas; philautia jubet ut vitam serves, DEUS ut profundas, num matri non obedire honestum; num vitæ suæ habere rationem turpe factum? Non. Sed minus potiores circumstantiæ potioribus & nobilioribus datis quiescunt, nec suam vim moralem exerunt, ut sic *ordo naturalis* exoriatur, *quo* ut B. *Bœclerus* (q) eruditè philosophatur, *DEO debita ita anteponuntur iis quæ hominibus debentur, ut hæc illis cedere, Deoq; magis obediendum esse, quam hominibus, ultro intelligatur, & quod quæ civitati debentur, naturaliter anteferri iis quæ parentibus debent liberi*, & sic cæteris paribus, patris præceptum potius, quam matris, quod patre præci-

(q) Comm. in Grot. P. II p. 153.

præcipiente quiescit, audiri *summa ratio sit.* Sic videndum an circumstantiæ sint essentiales, an accidentales, item, num speciem addant, an tantum bonitatem vel malitiam actus inter eandem speciem augeant tantum, vel minuant; illæ potiores, majoris momenti, & præ his denique considerandæ sunt.

§. 20. Hæc ita discussa, quid de *Iuris naturalis attributo*, quod *Immutabilitas* dicitur, haberi debeat, perspicuũ reddunt. Non uno modo enim an *jus naturæ mutari* queat? quæri potest, nec statim qualiscunq; quæ hic contingit mutatio, pro mutatione ipsius juris naturalis haberi debet. *Fit interdum,* rectè ait *Grotius* (r) *ut in his actibus de quibus jus naturæ aliquid constituit, imago quadam mutationis fallat incautos, cùm revera non jus naturæ mutetur,* quod *immutabile est, sed res de qua jus naturæ constituit, quæq; mutationem recipit.* Nimirum ea quæ lege naturali præcipiuntur, vel prohibentur, ita haud raro comparata sunt, ut ob rationem suam objectivam se simpliciter habeant immutabiliter, talia sicut nullis circumstantiis à præcepto legis naturalis subtrahi possunt, ita quoque simpliciter à lege hac præcepta dicuntur, vel prohibita, v.c. cum DEUS per essentiam sit bonus, simpliciter amor optimi hujus Numinis præcipitur, odium verò prohibetur. Quandocunque verò non ita simpliciter jus hoc præcipit,

(r) de I.B.P.I. 1.10.

pit, sed sub certis tantum circumstantiis, si illæ variant, uti non manet ulterius præceptum, quod ante præcepti vim habebat, ita non ipsa lex naturæ mutata, sed materia præcepti potius immutata, & propterea legi non amplius obnoxia dici debet.

§. 21. Considerandum quoque est, *additionem* ad legem naturæ, non statim inferre ejus mutationem. Circa complura particularia nihil haud raro jus naturæ definit, quæ cum vel lege DEI positiva, vel etiam humana præcipiuntur, vel prohibentur, prout salus reipublicæ & ratio status id exigit, & una cum lege naturali observanda proponuntur, quæ jure hoc alias libera & permissa fuissent, non legem hanc mutatam, sed ei superadditum aliud esse præceptum dici debet. Quanquam enim jus civile cum jure naturali quâ præcipiente & qua prohibente ita convenire debeat, ut nulla illud ratione vel vetita jubendo, vel præcepta vetando imutare possit, cum omnes homines juri naturali subsint, inferiores autem in superiores nihil queant, ubi tamen jus naturę nihil definit, vim suam istud exserit, ea quæ sunt è Republica præcipiendo, quæ minus talia prohibendo. An autem suma potestas civilis permittere queat, quod jure naturali vetitum est, disquirit *Bæclerus* (s) noster.

(s) Com. Grot. P. I. p. 158.

§. 22. Cæterum *ab hominibus* non solum non mutari potest lex naturalis, sed ne *à DEO* quidem

quidem, ita ut quis ab eo accipiat licentiam contra faciendi. Non malè alii ita hoc exprimunt: Manente *eodem objecto, & iisdem circumstantiis non fieri potest, nec autoritate divina concedi, ut id ab homine citra crimen aliter, vel contra tractetur, quam lex naturæ exigit.* quo non solum ineptiis *Ioh. de Rada*, (t) sed & aliorum tricarum magistrorum (u) infrunito contradicitur errori, Deum *sub iisdem circumstantiis, variata sola circumstantia prohibiti & non prohibiti*, contrariè, contradictoriè & permissivè, circa secundæ, imò, ut alii fœde eructant, primæ tabulæ præcepta dispensare posse. Existimant quippe, sicut *Vasquij* (x) prodit emblema, quod, *si contrarium jus nobis Deus dederit, eo ipso quod ipse dederit, bonum id esset futurum.* Verum cum ea quæ sunt juris naturalis intrinsecè bona & mala audiant, sicut hæc non ita possunt mutari, ut *quod malum est, malum non sit*, ut *Grotius* (y) loquitur, ita neç ea quę sunt juris naturalis. Accedit quod ea quæ sunt juris naturalis, radii sint divinæ rectitudinis in nobis resplendescentis, rivulus legis DEI æternæ, & expressum τύπωμα ad divinam justitiam & sanctitatem, huic aliquid derogaret, hanc mutatum iret sanctissimum & immutabile Numen, si talem mutationem ipse institueret. *Necessum* est, ut rectè infert *Frideric. Hornius*, (z) *imaginem & instar ad sui prototypi rationem accedere. Secus enim contradictorium quid à DEO sanciretur, & divina*

(t) loc. cit.

(u) apud Voet. P. I. Disp. Select. de Iure Dei.

(x) Contr. Ill. l. 27. n. 11.

(y) loc. cit.

(z) de Civit. p. 100.

divina justitia & sanctitas, variationem in pejus ac iniquum pateretur.

(a) Vind qq. diffic. c. 8.

§. 23. Cadit hic impietas *Szydlovij,* (a) *Etiam*, inquit, *in illis, quæ ad cultum DEI pertinent, nullò alio modo homines obligantur nisi ex præcepto & per legem. Si enim DEVS voluisset, tum potuisset alium cultum, vel modum cultus jubere sibi præstari. Ita etiam ista quæ ad cultum suum pertinent, DEVS liberrimè præcepit; & quidem ita, ut potuerit aliter præcepisse, ideoque ex hypothesi tantum mandati divini ista sunt vitia.* Quæ ergò juris naturalis & necessaria esse dicuntur in se, huic talia sunt necessitate tantum hypothetica; ex positione scil. puri & absoluti DEI beneplaciti, ita ut contrarium modum cultus sibi jubere præstari potuerit, cum ea quæ semel liberè præcepit, aliter quin etiam præcipere potuerit nil obstet, qua impietate major excogitari non potuit, ceu id *Voëtio* (b) ostenditur, quæ in divinam sanctitatem & justitiam, cui divina dictata & pronuntiata non possunt non esse conformia, extreme est injuria.

(b) l.c. p. 367.

§. 24. Alia datur *necessitas hypothetica & immutabilitas Iuris Naturalis* ex positione immutabilitatis essentiæ humanæ. Quanquam enim citra voluntatem divinam nullus homo sit animal rationale, sicut etiam non citra voluntatem, consequentem scil. sit,

sit, ut bis duo sint quatuor, quanquam etiam citra voluntatem antecedentem Tu non sis homo, veritas tamen humanæ naturæ simpliciter est immutabilis, ut supra diximus. Quare cum hominis ea sit conditio, ut lex naturæ talis, quæ typus sit divinæ sanctitatis & rectitudinis, non possit ei non esse congrua, sicut natura humana est immutabilis, ita quoque ex hujus positione lex naturalis, ceu quam convenientem esse oportet conditioni humanæ, est immutabilis.

§. 25. Sed hæc *necessitas hypothetica*, I. N. doctissimo *Pufendorf.* (c) asserta, & à nobis non improbata, non tollit, quam nos ulterius assertum imus, immutabilitatem eorum quæ à lege hac præcipiuntur vel prohibentur, in se & absolutè talem: quanquam enim qua *legalia*, & qua præcepta vel prohibita, consequenter ad voluntatem DEI legislatoriam sese habeant, & ita homine non existente actu lex naturæ non detur, qua tamen in se bona vel mala sunt, eandem antecedenter respiciunt, quæ ideò à DEO præcipiuntur & prohibentur, quia talem moralitatem habent, & proinde etiam homini ex conditione naturæ suæ morali agenti, non possunt non esse convenientia. Nec quando *legem naturalem* qua talem consequenter ad divinam voluntatem se habere dicimus, dis-

(c) de I. N. G. l. 2. 6.

crimin

Index I. Thesium.

ARTICULUS I

An homo esse possit exlex?

ARTICULUS II.

De Legis naturalis latore, ipsiusque existentia, probans dari DEUM.

ARTICULUS III.

De Jure DEI in hominem.

§. 14. Ex

ARTICULUS IV.

De Sapientia DEI Legislatoria.

ARTICULUS V.

Quid sit id, quod legis rationem in homine habet.

ARTICULUS VI.

De Promulgatione atque Cognitione Præceptorum Legis naturalis.

ARTICULUS VII.

Quid hominem ex naturæ suæ Conditione deceat.

ARTICULUS VIII.

De discrimine naturali honestorum & turpium.

Unde cognosci possit

An & quomodo aliquid in se sit honestum vel turpe?

§.29 Fun-

§. 54. Diffe-

ARTICULUS IX.
De Conformatione Creaturæ Rationalis cum Creatore.

§. 1. Ra-

ARTICULUS X.

De Juris Naturalis immutabilitate.

§. 4. Con-

Index

Index II. rerum & verborum.

A.

Baby-

B.

C.

junge-

E.

F.

G.

H.

 dinis

N.

Nudi-

P.

Promul-

Ratio

S.

FINIS.

Lector Benevole,

Cum notabiliora nonnulla errata irrepſerint, inter ea ſequentia ita corrige.

Pag. 38. l. 17. pro: *duo & tria ſeptem,* lege: *decem tria & ſeptem*. p. 67. l. 20. pro: *Patriarcham loqui,* lege: *Patriarch. una loqui.* p. 103. l. 9. pro: *cum ipſis eſſentia,* lege: *cum ipſius eſſentia*. p. 119. l. 4. pro: *ilia non,* lege: *alij non*. p. 174. l. 1. *ex qua verum,* lege: *ex qua per ſe verum* p. 183. l. 8. pro: *provenit ſecundum,* lege: *provenit ex illis ſecundum.*